

PETRI KIRSTENI,
VRATISL. PHIL. ET
MED. D.
VITÆ EVAN-
GELISTARUM
QVATUOR:
*Nunc primum, ex antiquissimo codice*
*MSS°. Arabico Cæsario, erutæ.*
AD
RUDOLPHUM. II.
IMPERATOREM.
CVM PRIVILEGIO.
BRESLÆ,
Typis Arabicis ac sumptibus Authoris.
Anno MeDICI VerI.

# PRIVILEGIUM CÆSAREUM.



UDOLPHUS SECUNDUS divina favente clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ & VVirtembergæ, &c: Comes Tirolis &c: Agnoscimus & notum facimus vigore præsentium Universis, qvod cum nobis demissè significarit, noster & Sacri Imperij fidelis dilectus PETRUS KIRSTENIUS, Philosophiæ & Medicinæ Doctor, sese comuni rei literariæ bono, & præsertim publico eorū commodo qvi vel Medicinæ operā navant, vel alias honesto studiorum desiderio flagrant, diversorum Artis Medicæ Professorum, videlicet Avicennæ, Mesuis, Rhasis, Albucasis aliorumq; opera idiomate ipsis vernaculo, id est Arabico in lucem edere decrevisse, eodemq; fine, & pro faciliore eiusdem lingvæ captu non ita pridem Grammaticam Arabicam suis sumptibus typis vulgatam esse. Vereri autem, ne, qvod sæpe fieri solet, æmulorum fraude, qvi editionem suam dolosè imitentur, sperato diuturni laboris ac impendij sui fructu destituatur. Eaq; de causa suppliciter nos rogarit, ut ipsius hac in re indemnitati privilegio nostro Cæsareo clementer consulere dignaremur. Nos huiusmodi precibus, ut quæ æqvitate nitantur, benignè annuendum duxerimus, uti vigore præsentium annuimus. Ac proinde omnibus ac singulis Typographis, Bibliopolis, & alijs qvibuscunq; librariam negotiationem exercentibus seriò inhibemus & vetamus, ne qvis prænominatos libros vel alios Arabico idiomate à prædicto PETRO KIRSTENIO in lucem editos vel edendos, per viginti annorum spatium à prima editionis die computandum, intra Sacri Imperij, Regnorumq; et Dominiorum nostrorum hæreditariorum fines, simili aut alio qvovis typo vel forma, sive in toto sive in parte, recudere, aut alio recudendos dare, vel alibj etiam impressos adducere, vendere, aut distrahere, clam vel palam, citra voluntatem et consensum prædicti PETRI KIRSTENII eiusve hæredū præsumat. Si qvis verò secus faciendo Privilegium hoc nostrum Cæsareum spernere, negligere, aut transgredi ausus fuerit, eum non solùm hujusmodi libris perperam qvippe recusis & adductis, (.qvos qvidem ante dictus PETRUS KIRSTENIUS ipsiusvę hæredes, ubicunq; deprehensos, sive propria auctoritate, vel magistratus loci istius auxilio sibi vindicare poterunt.) de facto privandum, sed et pœna insuper Viginti marcharum auri puri fisco nostro Cæsareo fraudis vindici, & sæpe dicti PETRI KIRSTENII hæredumve ipsius usibus, ex æqvo pendenda decernimus, omni spe veniæ sublata, plectendum. Dummodo tamen istiusmodi libri nihil in se scandalosum, aut orthodoxæ religioni Catholicæ, Sacriq; Romani Imperij constitutionibus adversum, vel bonis moribus contrarium, sive in præfatione sive in textu, seu alias qvocunq; modo contineant, Et jam dictus PETRUS KIRSTENIUS terna ad minus singulorum operum exempla proprijs suis sumptibus qvàm primùm ad Cancellariam nostram Imperialem transmittere teneatur, qvatenus Privilegio hoc nostro uti voluerit,

Mandamus ergo universis nostris ac Sacri Romani Imperij, Regnorumq;, et Dominiorum nostrorum hæreditatorium subditis, cujuscunq; status, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis ac præeminentiæ existant, tam Ecclesiasticis qvàm secularibus, præsertim verò ijs qvi in Magistratu constituti, vel proprio vel superiorum suorum nomine & loco juris ac justitiæ administrationem exercent, ne qvenqvam Privilegium hoc nostrum Cæsareum temerè, & impunè transgredi aut violare patiantur, qvin potiùs contumaces, si qvos compererint, præscripta pœna plecti, alijsq; idoneis modis coerceri curent, qvatenus & ipsi eandem mulctam evitare maluerint. Harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum & sigilli nostri Cæsarei impressione munitarum. Datum in arce nostra Regia Pragæ die 6. Octobris, Anno 1608.

RUDOLPHUS

*Ad mandatum S. Cæsareæ M^tis. proprium.*

LEOPOLDUS à STRALENDORFF. JO. BARVITIUS.

# PRÆFATIO. AD RVDOLPHVM. II. IMPERATOREM INVICTISS. AUGUSTISS.



ON TANTUM HOMINIBUS QVI-*busdam tenuioris fortunæ, omnibus temporibus, studium lingvarum, Unicè curæ fuisse,* IMPERATOR INVICTISSIME AUGUSTISSIMEQ; , *sed multò magis ἰσοθέοις, ac DEI omnipotentis vicem, locumq; in his terris gerentibus,* Imperatoribus, Pontificibus, Regibus ac Magnatibus, *Ecclesiasticæ & politicæ satis superq; testantur historiæ.*

Qvibus studium lingvarū semper curæ fuerit.

*QVIS enim* Salomonis, *qvem ipsa sapientia æterna*, filius DEI, Salvator noster, omnium Regum sapientissimum vocat, *insignem, cum cognitione lingvarum conjunctam, ignorat sapientiam, aliorumq; in sacris literis descriptorum Regum ac magnatum, erga lingvarum studia favorem?*

Salomonis sapientia.

*QVIS Christianus, non novit,* Ipsum Regem Regum, & Dominum Dominantium, Iehovam DEUM Unicum, *se visibili specie lingvarum multarum, die Pentecostes, vicariis suis, & regni sui in his terris administris,* Apostolis, *ostendisse, perq; has suam sapientiam & virtutem, in salutem omni credenti, per universum orbem terrarum, annunciari voluisse?*

Deus ipse, visibili specie, multarū lingvarum apparuit.

CUI *non notum est admirandum*, Regis Ponti & Bithyniæ Mithridatis *exemplum*, qvem solum, inter homines, Plinio authore, viginti duarum lingvarum gentes, sine Interprete, sæpiùs allocutum fuisse constat; *qvamvis* Cleopatræ, & Amalasventhæ Ostrogothorum Regis Theodorici filiæ, *idem contigisse dicat* Sabellicus & Platina.

Mithridatis Regis exemplum. Cleopatræ & Amalasventhæ.

*ET quid de tàm remotis à nostrâ ætate loqvimur Regibus? Qvis ignorat, à multarum lingvarum cognitione, in hodiernum usq; diem, celebratissimos antecessores* S. C. M.[tis] VESTRAE, *sacratissimæ memoriæ*, Imperatores Augustissimos, Carolos, Fridericos, Alphonsum, Sigismundum, Maximilianos, *& reliqvos omnes* S. C. M.[tis] V. *parentes laudatissimos? Qvem latet verè Imperatoria illa, erga lingvarum*

Recētiores Imperatores, multarū lingvarum cognitione præditi.

*gvarum studia*, Divi Ferdinandi, *sacratissimæ memoriæ, avi* S. C. M.[tis] V. *nunqvam satis laudati, affectio & insignis liberalitas, qvâ motus*, Typographiam Syriacam, in Metropoli Austriæ, Viennâ *nuper erexit, satis egregiam?*

Divi Ferdinandi erga lingvarum studia favor & liberalitas.

QVORUM *vestigiis summâ cum laude, ut in reliqvis omnibus virtutibus, ita etiam in fovendis, non tantùm lingvarum, sed & omnium aliarum disciplinarum liberalium studiis, adeò insistit* S. C. M.[tas] V. *ut non solùm cum illis de hac gloriâ certare, sed eos jam, multis modis, superare, jure ab omnibus bonis, affirmari possit.*

HUJUS S. C. M.[tis] V. *gloriæ, testimonium amplissimum, ad omnem, si qva futura est, posteritatem, ipsa* lingva Arabica, (*In qvâ, ut Europæ nostræ communicaretur, tot jam* Imperatores, Pontifices, Reges, Principes, aliiq; Illustres & Clarissimi viri *laborarunt*) *deferet.*

Qvi jam laborarint in communicandâ lingvâ Arabicâ, Europæ.

*CERTAM enim concepimus spem*, S. C. M.[tem] V. *huic tanto operi, culturæ* lingvæ Arabicæ, *favorem suum ac patrocinium Cæsarium, non denegaturam, cùm id* antecessores ejus, aliiq; Illustres viri *haud pauci, summâ cum laude, eximiâq; liberalitate egerint.*

*HOC, à veritate, non alienum esse*, S. C. M.[tas] V. *jam dudum novit; ut tamen alii, hæc legentes, idem agnoscere possint, placuit, paucis, unius atq; alterius tantùm, mentionem facere, qvi ante nos, in eodem hoc negotio, aliqvid, posuerunt, operæ. Omnium enim Illustrium eorum virorum, catalogum conscribere, ut nostri non est propositi, ita etiam hujus non est loci.*

*QVANTUM itaq; memoria adhuc nostra nobis suppeditat, scimus* Fridericum. II. Imperatorem, *non solùm* Hippocratem, fidumq; ejus Interpretem Galenum, *Latio scholisq; reddidisse, sed & ipsum* Avicennam, *aliosq; plurimos authores* Arabes, *in omni genere disciplinarum*, ex Arabiâ, *per* Averrhoëm, *qvem ad se evocarat, in* Europam *traduxisse. Imò, qvod omnes de eo, unanimi consensu prædicant, historiæ*, cum ipsum Imperatorem, *unà cum aliarum plurium lingvarum usu, etiam ipsius*, lingvæ Arabicæ *cognitionem, habuisse, insignem.*

Fridericus II. Imperator. Hippocrates, Galen*, Avicenna; aliiq; Arabes, qvando Europæ, & per qvem, communicati fuerunt.

*IDEOQ; jure, hoc qvoq; nomine lætandum est, qvòd tanto tunc authore, in hanc nostram Orbis terrarum partem*, Arabica *illata fuerint. Qvantis id factum fuerit sumtibus & molestiis, qvilibet prudens, facilè secum conjicere potest.*

*ELAPSIS pòst, aliqvot annis*, Alphonsus *ille, qvi ob sapientiæ & eruditionis famam*, ex Hispaniis ad Imperium *vocatus fuit, vulgoq;*

Alphonsus Imperator.

Sapientis, *nomen meruit, idem studium colũit, cum aliis artibus, inter qvas, maximè*, Astronomiæ *deditus fuit, id qvod*, tabulæ Astronomicæ, qvas sumtu qvadringentorum Millium, procurasse dicitur, *satis testantur, quæq; hodiè, illius adhuc nomine, circumferuntur.*

Alcoran turcicus qvando oppugnari cœperit.

*NAM circa illa tempora, per hujus linguæ studium, cœpit oppugnari, Impii* Mahhummedis Alcoran.

*ET qvid singulos memorem* Imperatores *reliqvos, cum plerisq; notum sit, eos cum reliqarum lingvarum studiis, hujus etiam lingvæ, optasse potiùs & molitos fuisse, culturam, qvàm illustrasse.*

Concilium Viennense in Galliâ.

*EIUNDEM in finem sub* Clemente V. Pontifice, In Concilio Viennæ in Galliâ Lugdunensi, habito, circa annum 1308. *Inter cætera sancitum est*, ut in Academiis, Romanâ, Parisiensi, Oxoniensi, Bononiensi, & Salamanticâ, in singulis sint duo Professores lingvæ Hebraicæ, Arabicæ & Chaldeæ.

Gregorius XIII. Pontifex.

*EJUSDEM rei gratiâ*, optimus *ille* Pontificum Gregorius XIII. *nuper* Romæ, *Collegium extruxit novum*, Maronitarum *dictum*.

Reges Galliæ, Angliæ, &c. Principes & Electores S.R. Imp.

*QVANTIS porrò sumtibus & conatibus, in excolendâ hac lingvâ, hactenus laborarint* Reges Serenissimi, Galliæ, Angliæ, &c. *nec non* Principes Illustrissimi, *in diversis nostræ* Europæ *regionibus, abundè testantur plurimi* Duces & Electores, Sacri Romani Imperii, Palatini, Saxoniæ, ac Marchiæ, *qvi non parvis cum sumtibus, non tantùm in suis* Academiis *& aulis, aliqvot aluerunt amplissimis stipendiis, viros doctos, sed & quosdam in ipsam, hujus lingvæ addiscendæ gratiâ, miserunt* Arabiam, *qvi viri docti, sub Umbra & patrocinio tantorum* Mœcenatum *proculdubio, dudum, hujus lingvæ non solùm necessaria præstruxissent fundamenta, nosq; hoc tanto, tamq; molesto onere sublevassent, sed ipsam etiam adeò*, Europæ *nostræ communicassent, in eâq; ita eam elaborassent, ut ejus usus, æqvè inter doctos, magnâ certè cum generis humani utilitate, esset familiaris, atq; est vel* Hebreæ, *vel* Græcæ, *aut* Latinæ *lingvæ*.

Qvid prohibuerit, cur hæc lingva Europæ dudum non fuerit facta familiaris.

*SED mortalitas nostra, & plerorumq; insperata ejusdem valedictio, tantis nos spoliaverunt commodis. Qvæ tamen ut suo tempore resarciantur, nostris à* DEO omnipotente, *flagitare votis, nunquam desistemus.*

Principes Italiæ. Ferdinand' Magnus Dux Hetruriæ.

*Ex* Italiæ *verò* Principibus, *cui mediocriter docto, non constat, æterno, cum* Mediceorum familiæ, *nominis splendore, in hujus lingvæ gratiam, non parvis cum sumtibus, à* Ferdinando Magno Duce Hetruriæ, *multis generibus typorum instructissimam*, Romæ erectam esse Typogra-

pographiam Arabicam? *Vt de aliis Principibus plurimis nihil dicam, qvot qvæso viri eruditione ac doctrinâ* Illustres & Clarissimi, *maximoperè allaborarunt in hujus lingvæ, studio? Præter enim illos non paucos, qvi adhuc in vivis sunt; Nemo* Gerardi Cremonensis *labores, qvàm fuerint utiles generi humano, ignorat.* Petri de Alcala *studium, in tradendâ lingvâ* Arabicâ vulgari, *sive* plebeiâ, *probat* Dictionarium ejus Arabico-hispanicum, Granatæ Anno Christi 1505. Hispanicis literis editum. *Ejusq́;* arte, para ligeramente saber la lengva Araviga, *ibidem edita.*

Typographia Arabica Romana. Viri alii illustres & clarissimi. Gerardus Cremonensis. Petrus de Alcala.

*FERVOR seu potiùs μανία, (ipse enim se dicit, in epistolâ ad Christianos omnes, ἀραβικομανὴν,)* lingvæ Arabicæ, *doctissimi* Clenardi, *omnibus penè jam constat.* Gvilielmi *qvoq́;* Postelli *conatus, nec non* Christophori Hammeri, Georgii Weigenmayeri, Rutgeri Spai, Gvidonis Fabricii, Roberti Retenensis Angli, Andreæ Alpagi Bellunensis, *aliorumq́; plurimorum, dudum non paucis innotuerunt.*

Nicolaus Clenardus. Gvilielmus Postellus. Christophorus Hämmerus. Georgius VVeigenmayer. Rutgerus Spai. Gvido Fabricius. Robertus Retenensis. Andreas Alpagus.

*QVOS omnes, si qvis, non dicam pro dignitate, oratione cōmendare, sed enumerando saltem commemorare velit; Næ, in justi voluminis qvantitatem hæc excrescet tractatio, id qvod nobis nunc, ut non conceditur, ita qvoq́; propositum fuit nunqvam.*

HORUM *tot tantorumq́;* heroum, ac illustrium virorum *laudatissimis vestigiis, cur nos, hoc tempore insistere voluerimus,* in præfatione primi libri Grammatices Arabicæ nostræ, pluribus dicemus. *Neq́; ullo modo dubitamus,* S. C. M.^ti V. *hoc nostrum institutum probatum iri, qvinimò certò statuimus, id qvod toti Mundo de* EA, *jam innotuit,* ILLAM, *unà cum omnium liberalium artium ac disciplinarum, reliqvarumq́; lingvarum studiis, huic qvoq́; lingvæ, generi humano adeò necessariæ, optimè favere, eamq́; promotam & excultam velle. Jure itaq́; optimo, nunc exulta,* ò Europa: *nam, paulò pòst, ditaberis, non tantùm cognitione aliqvâ,* lingvæ Arabicæ, *tantis suspiriis hactenus desideratæ, sed per hanc multorum* Clarissimorum Authorum, *in omni genere disciplinarum DEO acceptissimarum; generiq́; humano perqvàm necessariarum, communicatione ac restitutione.*

Qvid Europæ ex hisce conatibus accessurum sit.

SICUT *enim antè qvatuor ferè secula, sub Imperio* FRIDERICI. II. *tibi non pauca* scripta Arabica, *(qvamvis mirè, ob injuriam illorum temporum, depravata,) communicata sunt.*

Frideric. II. Imp.

*ITA* σὺν θεῷ *sub Imperio* RUDOLPHI. II. præsentis tui semper Augustissimi Imperatoris, *non tantùm longè plura tibi communicabuntur, sed cōmunicata illa, & mirè depravata, in integrū restituentur.*

Rudolph. II. Imp.

CUM

Non minor est virtus, quàm qværere parta tueri.

CUM verò, *omnium sapientum judicio,* non minor *sit* virtus, qvàm qværere parta tueri; *qvanta virtus erit, & ex hac gloria, parta non solùm tueri, sed meliora reddere, adaugere & perficere. Id suo tempore,* IMPERATOR INVICTISSIME, AUGUSTISSIMEQ; de scriptoribus Arabibus, *DEO adjuvante, sub* S. C. M.tis V. *patrocinio, futurum, certò speramus.*

CUM *autem hoc, sine* linguæ Arabicæ *culturâ, fieri neutiqvam possit, Ideò nos, ut tantam spem, pro tenuitate nostrâ adjuvaremus,* plurimorum virorum Clarissimorum *nobis amicorum petitionibus, Imò ipsius rei qvasi necessitate coacti,* librum primum Grammatices Arabicæ conscripsimus, & typis sumtibus nostris sculptis, describere decrevimus. *Hujus nostri laboris exercitium, ut studiosi haberent luculentiùs, constitueramus* qvatuor Evangelistarum Prolegomena, & illorum Evangeliis subjuncta, *continentia multa, omnibus Christianis, scitu non inutilia,* ex antiqvissimo manuscripto codice Arabico, à viro Humanissimo & Doctissimo Domino Sebastiano Tengnagel Sicambro, S. C. Mtis. V. Bibliothecæ, qvæ est Viennæ in Austriâ, præfecto dignissimo, eidem Bibliothecæ, (si qvid ipsi fatale evenerit,) dato, legato, *transsribere, & ad verbum, pro tenuitate nostrâ latina facere, ac* S. C. M.ti V. *debitâ animi devotione offerre.*

Difficilia qvæ pulchra.

*At dum in fodinis hisce* Arabicis, *venas inqvirerem auri purissimi, tantis difficultatibus, (secundū illud δύσκολα τὰ καλά,) qvasi catenis, id affixum esse reperi, ut multoties cœptum opus abjicere, ac consilium in totum mutare decreverim.*

Difficultates, in eruendis hisce, qvædā enumerantur. Codicis. Librarii.

*NAM* Codex *præ antiquitate, plurimis in locis, maximè in principio & fine, non parum situ, carieq; depravatus erat, imò & à vermibus, non paucæ voces erosæ.* Librarius, *cujus manu hic codex scriptus fuit, magna usus est libertate ductuum literarum. Non rarò enim literas, omnibus hujus linguæ doctis illigabiles habitas, cum seqventibus, ductus licentiâ, fortè ornatus gratiâ, cum seqventibus ligavit, qvasdamq; minùs distinctè pinxit, adeoq; legenti, non paucos hanc ob causam, injicit scrupulos. Sæpissimè puncta essentialia omisit, quòd non* Europæis, *sed* Arabibus *scriberet. Tandem,* aliqvot voces, *in istis, occurrebant, qvarum significatio ad nos nondum pervenit.*

Vocabulorum.

Rationes cur hæc abjecta non fuerint.

*DISSVADEBAT tamen, abjectionem hujus propositi, contrariumq; injungebat, ipsa erga* DEUM, *ejusq;* Apostolos gratitudo *ac pietas,* horumq; scriptorum veritas, utilitas, jucunditas ac brevitas.

*Urgebant me virorũ doctorũ, ac præstantiſſimorũ, Judicia & petitiones.*

CUI *enim totum genus humanum, majorem debet* GRATITUDINEM, *qvàm* DEO creatori, *& conſervatori omnium, ejusq;* Apoſtolis, & Organis, *qvibus concredita ſunt; myſteria fidei & ſalutis noſtræ æternæ, qvòd illa nobis adeò fideliter reliqverunt*, ut nemo excuſationem habere poſsit, Joh. 15. verſ. 22. *Gratitudinem hanc verò noſtram, qvibus mediis aliis, meliùs publicè teſtatam faciemus, qvàm, ſi præceptis divinis obœdiamus,* & ſcripturas, noctesq; diesq; ſcrutemur, *ut ex illis diſcamus,* diligere DOMINUM DEUM noſtrum, ex toto corde noſtro, & in totâ animâ noſtrâ, & in totâ mente noſtrâ, & proximum noſtrum, ſicut nos ipſos. Prolegomena *verò, &* Evangeliis hiſce Arabicis ſubjuncta, *qvæ* qvatuor Evangeliſtarũm vitas, *inter alia etiam continent, in libris* Novi Teſtamenti, *qvò ad fundamẽtum, contineri, nemo qvi hæc & illud legit, ignorare poteſt. In his itaq;, aliqvid operæ ponere,* homini Chriſtiano, *omninò licere arbitror, Imò hac occaſione noſtram, erga* DEUM, *ejusq;* Apoſtolos, *demonſtramus gratitudinem.*

Gratitudo erga DEUM ejusq; Apoſtolos.

Scopus ſtudii ſacrarũ literarum.

Hæc Prolegomena & his Evangeliis ſubjuncta in libris NoviTeſtamenti contineri.

VERITATEM *autem horum ſcriptorum eſſe certiſſimam, ſpretâ etiam antiqvitate codicis, docet conſenſus elegans, cum omnibus, qvæ de illis in* Apoſtolorum *ſcriptis inveniuntur. Conſenſus etiam earum rerum, qvarum, de his* Qvatuor Evangeliſtis, Patres qvidam Eccleſiaſtici, *mentionem fecerunt. Conſenſus deniq; ſcriptorum politicorum, temporisq; convenientia, & alia.*

Veritas horum ſcriptorum.

UTILITATEM *his ſcriptis, qvis prudens detrahet. Si enim ethnicorum ac prophanorum hominum ſcripta & hiſtoriæ, multis gaudent cõmodis, qvantò magis hæc ſcripta ſacra, hiſtorias* Evangeliſtarum *continentia, maximis non deſtituentur Utilitatibus.*

Utilitas horum ſcriptorum.

1. *IN his enim apparet, qvantâ cum diligentiâ, qvantoq; Judicio, & qvo modo pia antiqvitas hiſtoriam* Domini JESU CHRISTI Unici Salvatoris noſtri, à qvatuor Evangeliſtis, dictante tertiâ Perſonâ Divinitatis, Spiritu ſancto, *deſcriptam legerit.*

2. *INDE, non ſolùm nobis* Chriſtianis, *ſed ipſis etiam* Ethnicis, *ſcripta* Evangeliſtarum, *fient certiora, qvòd in his, non pauca,* vitas Evangeliſtarum *concernentia, qvæ hactenus à* Theologis *ferè omnibus, in dubio relicta ſunt, egregiè confirmentur,* Utpote qvando, ubi, &c: qvilibet Evangeliſta, ſuum ſcripſerit Evangelium.

3. *IMO, qvædam de prædictis* Evangeliſtis, *planè adhuc incognita, nobis ex his innoteſcent:*

MULTA

4. MULTA *etiam erronea*, & *falsa, ex his refutari poterunt. Ingeniosè enim, neq; ex impio instituto*, vir doctissimus *qvidam*, in Opusculo super locum Evangelii: Si volo eum manere, donec veniam, qvid ad te? *statuit*, S. Johannem Evangelistam nondum esse mortuum. *Is si hæc legisset*, Evangelii S. Johannis Prolegomena, *proculdubio aliter sensisset. Ita enim exactè* ætas, mors, sepultura, hujusq; testes *describuntur, ut certè minùs rectè facturus esset, qvi hæc in dubium vocaret; Sed de his in textu, plura fortè dicentur.*

S. Johannes Evangelista an nondum sit mortuus.

5. *HIS scriptis cognitis & comprobatis, eò meliùs, in posterum* contemptores historiæ Evangelicæ, *redargui poterunt*; *nos* Christiani *verò in fide nostrâ, eò firmiùs confirmari.*

6.

7. *ALIIS etiam scriptoribus historicis, hæc non erunt planè inutilia. Præter cognitionem enim, computatio annorum, non parùm inde adjumenti nanciscetur.*

JUCUNDITATEM *ex his scriptis, ipsi etiam ethnici, ubi legerint, necesse est capiant. Nam, si ex figmentis & fabulis plerorumq;, etiam piorum, animi, Jucunditatem percipiunt.*

Jucunditas horum scriptorum.

*QVOMODO ex lectione horum scriptorum, in qvibus continetur commemoratio vitæ sanctissimorum hominum*, qvadrigæ *nimirum* Evangelistarum, *nulla ad eos redibit jucunditas, nulla lætitia?*

*ME, ingenuè fateor, miro affecit gaudio, qvòd inter alia, invenerim tempus*, qvando qvisq; Evangelistarum, suum scripserit Evangelium. *Imò etiam* Ubi, & in qvâ lingvâ.

*DE* BREVITATE *horum scriptorum, nemo dubitabit, opinor; cum hac in parte ipsa res loqvatur.*

Brevitas horum scriptorum.

*TANDEM, qvoties & qvàm seriò hæc à nobis flagitaverint*, viri Clarissimi, *plurimæ illorum, hac de re ad nos scriptæ, satis superq; testantur Epistolæ.*

Hæc scripta ab aliis desiderata fuisse.

*QVIA verò, ob jam enumeratas, & alias etiam plures difficultates, inprimis tædiosissimam occupationem nostram, integra hæc scripta hoc tempore* S. C. M.[ti] V. *exhibere, & offerre non potuimus. Ideoq; erutas ex illis fideliter, crassâq; Minervâ conscriptas*, Vitas *hasce*, qvatuor Evangelistarum, EIDEM, *interim, humilimè, debitâq; cum animi reverentiâ oblatas, consecrare volui; Donec suo tempore; horum scriptorum perfectiora exemplaria plura, & majorem etiam in hac lingvâ, cognitionem, assecuti, aliqvidq; otii, nacti fuerimus.*

Qvando hæc scripta integra edentur.

DEBUI *autem* S. C. M[ti]. V. *hoc meum, licet exiguum, pium, tamen nec inutile literatum munusculum, offerre, dedicare, ac consecrare, his de causis.*

Cur hæc S. C. Majestati dedicata fuerint.

*QVOD* totus Mundus *sciat*, S. C. M.[tem] V. *non solùm sacrorum, sed & omnium reliqvorum, liberalium artium, lingvarumq; studiorum*, Mœcenatem ac fautorem summum esse.

Ratio prima.

*DEINDE, qvia hæc omnia*, ex Codice, dato, legatoq; Bibliothecæ, qvæ est Viennæ in Austriâ, S. C. M.[tis] V. *desumta sunt.*

Secunda.

*QVODQ;* DEUS Jehova noster, *per* S. C. M.[tem] V. *dulcissimam hanc nostram* Patriam, *adeò clementer, in ultimâ hujus* Mundi *fece, & extremis* Diaboli, *organorumq; ejus furoribus, regere, defendere, & conservare hucusq; voluerit, qvod in posterum, ad jamjam præ foribus adstantem ultimum mundi diem usq;, ut paternè facere velit, ardentibus votis, sine intermißione à* Deo *petere non desistemus.*

Tertia.

*ACCEDIT & illud, qvòd* idem ille DEUS Jehova noster, *mihi sub principium* Imperii Romani S. C. M.[tis] V. eo anno, qvo ILLA, in hac nostrâ patriâ, summo ejusdem cum gaudio & gratulatione, aliqvandiu degeret, ærumnosam hanc mortalitatem ingredi, vitaliq; primùm aurâ frui concesserit.

Qvarta.

*QVODQ; insuper*, idem ille DEUS, *pòst absolutum aliqvem, studiorum ac peregrinationum mearum cursum, me salvum & incolumem, in hanc meam* Patriam, Imperio ac Patrocinio S. C. M.[tis] V. subjectam *reduxerit. Ut itaq;, pro facultate meâ, me fidelem, gratum & devotum*, Magistratus mei supremi, à DEO ipso, Patriæ meæ charissimæ, præfecti, *subditum publicè declararem; & omnes meos conatus ac studia, post* DEI gloriam, *in* ILLIUS *honorem directa esse, omnibus testatum facerem. Non potui, non*, Arabicarum istarum primitiarum, *hoc qvicqvid est muneris rei meæ literariæ*, S. C. M.[ti] V. *humilimè consecrare. Idq; facere si neglexissem, non observassem, omnium gentium, ubiq; terrarum, benè receptam consuetudinem*, qvâ omnes primitias cunctarum sive frugum sive laborum suorum, DIIS obtulerunt. At qvosvis legitimos magistratus DEOS, ipse Regius Psaltes, Psalmo 82. & Dux chori prophetici Moyses, in Exodo aliqvoties appellat. *Jmò &* Ethnicus *ille hujus rei non fuit ignarus, cum diceret*; Qvod DEUS in cœlis, hoc Tu mihi CAESAR in orbe: *Et* Maro: Divisum Imperium cum JOVE CAESAR habet.

Qvinta.

*TANDEM, ad hoc me impulit, tanti operis, excolendi* lingvam Arabicam *magnitudo, mearum verò virium, & subsidiorum tenuitas.*

Sexta.

*NISI*

*NISI enim hi mei conatus* S. C. M.[tis] V. *favore & auxilio admoti fuerint*, eorum messis in herbâ, certò peritura est. Atq; ita omnes mei, non solùm sumtus maximi, sed & labores molestissimi, qvos in addiscendâ, & huc usq;, (*etiam per typos hoscè nostros, nostro ære, ac præscripto factos*,) propagandâ hac lingvâ, facere ac sustinere coactus sum, perituri mihi videbuntur, maximo cum nostro damno, funditus.

QVIN imò, & longè his majora opera, partim à nobis jam confecta, partim cœpta, interrumpentur, ac concident. *His de causis aliisq; pluribus, qvas omnes brevitatis lex, hîc enumerare probibet*, IMPERATOR INVICTISSIME AUGUSTISSIMEQ; *hoc nostrum, literatum munusculum, horumq; meorum conatuum primitias*, S. C. M.[ti] V. *oblatas, consecratasq; volui*. EIDEMQ; *hoc facto, me meaq; omnia, maximè hoscè conatus, pios opinor & utiles, debitâ animi subjectione, etiam atq; etiam commendans; simul qvoq; obnixè & humilimè petens, ut* S. C. M.[tas] V. pro Imperatoriâ ac nativâ suâ clementiâ, & favore, *eas serenâ fronte suscipere, susceptasq; promovere, ac favere, dignetur.*

*HOC si fiet, (ut certò confidimus,) scio* S. C. M.[tem] V. *hoscè nostros typos, omniaq; scripta nostra, qvæ publici juris faciemus, adversùs fraudulentissimorum hominum, mihi meisq; summè noxios qvæstus, ac contra Jus repetitas expressiones formarum, & librorum promulgationes, munituram, & non tantùm ex suis* Imperialibus Bibliothecis, *perutiles* Codices, *verùm etiam alia plura necessaria subsidia, benignè subministraturam.*

*DE qvo, cùm neqvaqvam dubitem, ideò* DEUM DOMINUM UNIVERSI *ardenter invoco, ut* S. C. M.[tem] V. toti Orbi Christiano, *diutissimè servet incolumem, omniaq; ejus consilia, semper felicissimis successibus beare, dignetur.* Breslæ. Kal. Jun. Anno Christi 1608.

S. C. M.[ti] V.

*subjectissimus*

PETRUS KIRSTENIUS
Philos. & Medicinæ
Doctor.

AD

# AD LECTOREM.

SICUT *in metallicis fodinis*, Lector amice, *à principio dum metallum eruitur, multùm simul saxorum, aliarumq; rerum metallis permixtarum, educitur. Ita etiam in hisce principiis* lingvæ Arabicæ, *maximè in hoc solo tàm difficili, non dubito, qvin huic* auro Arabico *per se optimo, non paucasis inventurus admixta minùs tibi satisfacientia, imperfecta & ingrata.*

VERUM viri docti & boni *partes te suscepturum spero; & hæc omnia,* difficultati operis, tædiosissimæ nostræ conditioni, aliisq; impedimentis, *benignè tribues, nosq; de eis, si qva erunt, amicè,* moribus emollitis qvod testabitur, te artes liberales, fideliter didicisse, *monebis,* maledicis & scurris, qvibus hæc tempora, proh nimiùm abundant, maledicta scurriliaq; relinqvens. *Ita enim de amicis tuis admonitionibus, tibi gratias debitas habebimus, in iisq; nos, à te edoctos fuisse, ingenuè fatebimur.*

Didicisse fideliter artes emollit mores, nec finit esse feros.

*HÆC namq;, in tanto opere, excolendi* lingvam Arabicam, *tantùm esse primordia, & non tàm docendi, qvàm discendi, aliosq; nobis longè doctiores viros excitandi, animo, à nobis scripta ac edita, firmiter statuas.*

Cur hæc scripta ac edita fuerint.

*SI autem nobis, à te admonitis,* ad secundas à DEO *concedetur, transire* φροντίδας, *næ erunt illæ his* σοφώτεραι. *Interim hisce qvalibuscunq;, feliciter utere ac fruere, donec meliora, si non à nobis, tamen ab aliis suo tempore, tibi communicentur.*

Eurip. in Hippol. coron. Κἀν βροτοῖς αἱ δεύτεραι πως φροντίδες σοφώτεραι.

*IN præsentiâ verò, te ignorare qvoq; noluimus, nos* Arabica, *huic libello inserta, latinis literis exprimere non voluisse, ne in integrum, hoc scriptum, excresceret volumen, hacq; prolixitate, tædium, molestiasq; rem qvæ fieri vix potest tractando, tibi nobisq; crearemus. Et qvod sciamus, laborem hunc, de qvo loqvimur, admodum exiguæ esse utilitatis, eumq; potiùs, studiosos hujus lingvæ confundere, qvàm in ea erudire. Accedit, qvòd hoc,* liber primus Grammatices nostræ Arabicæ, *abundè doceat, ex eoq; qvilibet, proprio studio, id facere possit. Supervacaneum itaq; esset,* actum, denuò *hìc* agere.

Cur Arabica in hoc libello latinis literis expressa non fuerint.

*PRÆTEREA, scias, nos* Arabica ista, *ad verbum latinè facta, subjicere non voluisse, qvòd pleraq; à nobis, ferè iisdem verbis latinis, paulò antè, recitentur; & qvòd hæc, inter alia, maximè pro exercitio hujus lingvæ, studiosis edantur.*

Cur Arabica hæc ad verbum latinè facta, non subjecta fuerint.

*NON autem omnibus punctis ea ornare voluimus, qvòd his ornata,*

Cur Arabica hæc non

*nata, in* Codice illo, *conscripta non invenerimus.* Apicem *verò* unum, datâ operâ in alienis scriptis immutare, nobis religio esset. *Expectanda itaq; sunt similia exemplaria alia, è qvorum collatione, fortè omnia addi exqvisitè poterunt puncta.* Et hoc, in omnibus nostris scriptis, qvæ publici fient juris observes, ubi nimirum puncta non addita videris, scias, nos sine punctis illis, scripta isthæc invenisse.

omnibus punctis ornata sint.

NOTA.

Cur hæc Præmissa & Subjuncta Evangelistarum Arabica, jam in versiculos non distincta fuerint.

*TANDEM, non ægrè feras, nos hæc* Præmissa & Subjuncta Evangeliorum, Arabica, *è qvibus,* hæ vitæ *desumtæ sunt, in versiculos non distinxisse, ut illis in allegando, eò commodiùs uti possemus,* Codicis *enim ipsius obstiterunt, difficultates*, Librariiq; *minùs accurata, per puncta rubricâ appicta, distinctio, qvarum difficultatum, etiam* in præfatione, *superiùs mentionem fecimus.* Alii *igitur* Codices, *qvos nobiscum conqvirere omnibus mediis non gravaberis, meliùs fortâssis ea distingvent. Qvo facto,* integra hæc Evangelistarum Præmissa & Subjuncta Arabica, *in publicum prodibunt, hoc interim eorum προδρόμῳ salvus utiliter fruere.* Vale.



AD V. CL. DN.

# PETRVM KIRSTENIVM


## PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTOREM ΠΟΛΥΓΛΩΣΣΟΝ

Affinem sibi amicissimum.


*DOGMATA prima Arabum nobis monstrantia ductus*
*Cum dederis facili clarissime PETRE libello,*
*Næ sapis, hæc crebro qvando feliciùs usu*
*Firmari credens nunc, qvò se exerceat ardor*
*Discendi, das materiem, das commoda lectu:*
*Qvòq; DEI laudes, non qvas hoc Spiritus ore*
*Deceptor fraudes blasphemaq; scommata sparsit,*
*Qværere te monstres, sacra primitus edis, & illa*
*Qvalia per reliqvas ita plenè haud tradita lingvas.*
*Nimirum hâc demum ratione ars qvæq; docetur*

*Ut teneas, cum non præceptis tetricus unis*
*Insistit doctor, sed & ipsum protinus usum*
*Monstrat, & instructam paullùm mentemq́ manumq́*
*In rem præsentem deducit, ut ausit agendo.*
*Qvod si qvæ dabitur res sit bona, sit sacra, talis*
*Ut de non paucis Ecclesia doctior inde*
*Reddatur lucem Scripturæ dantibus amplam,*
*Næ geminâ qvasi tum tyro cumulabitur arte.*
*Huic igitur par est encomia debita facto*
*Pangere carminibus: Date carmina, qvisqvis amatis*
*Lingvarum munus, qvisqvis persæpè sacratas*
*Volvitis historias & sanctorum acta virorum*
*Integriore diù cupiistis noscere filo.*
*Carmina KIRSTENIO date, per qvem redditur illis*
*Vitaq́ luxq́, qvibus, qvòd vitaq́ luxq́ perennis*
*Nota sit, acceptum ferimus scribentibus. Æqvum est*
*Ut vivat, vivat, vivat qvi vivere rursus*
*Vult alios, tanti præsertim ponderis illos.*

MAURITIUS SCHRÖTER D.
de facultate Medicâ
Academiæ Lipsensis.



# VITÆ QVATVOR EVANGELISTARVM, EX ANTIQVISSIMO CODICE ARABICO CÆSARIO ERUTÆ.



OMNIUM RECTE JUDICANTIUM *consensu, perenni laude dignissimi sunt illi, qvi non solùm res gestas, & seriem seculorum, scriptis suis memoriæ mandarunt, sed etiam hominum, maximè verò Illustrium, historias ac vitas descripserunt.*

Omnes historici laude digni.

*SI enim tales scriptores nunqvam extitissent, proh qvantæ essent, de totius Orbis terrarum, per homines inhabitatione, administratione, eorumq; successione, apud omnes, tenebræ?*

Propter historiarum necessitatẽ.

*JN qvanto tenebrarum & ignorantiæ labyrintho, omnes, etiam in Philosophiâ doctissimi Ethnici, tot seculis hærere coacti fuerint, ob ignorantiam vitæ* Unius *primi hominis* Adam, *nulli mediocriter docto, ignotum est.*

Ratio ignorantię, multarum rerũ, etiam doctissimorũ ethnicorũ.

CUJUS *historiam si recepissent, nonne multæ, de origine & propagatione generis humani, fabulæ, anilesq; nugæ, plurimorum inter illos doctissimorum hominum, scriptis, immixtæ nunqvam fuissent?*

*SI, ipsius DEI veri ab Epistolis*, Moses *ille, populi Jsraëlitici Dux sanctissimus, primorum seculorum, hominum illustrium, vitas & historias non descripsisset, qvid unqvam nobis hominibus, fuisset his ultimis seculis miserius, qvid in æternum infelicius? Nullæ enim, de promisso semine mulieris, ad nos pervenissent certitudines, nulla via, ad salutem æternam per illud conseqvendam, nobis monstrata fuisset; nullæ de successione Jmperiorum, nullæ de miraculis divinis, nobis innotuissent historiæ. Non potuissent qvoq; ulli, reliqvorum codicum sacrorum, conscribi. Imò ipsi Apostoli, & Evangelistæ, multa, tantis confirmata testimoniis, neq; ipsam* Unici *Salvatoris nostri* Jesu Christi, *scribere potuissent historiam. Ut alias, longè plures utilitates silentio involvamus.*

Πεντάτευχος Mosis qvam sit utilis. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

AGNOSCAMUS *igitur, ineffabilem hanc DEI omnipotentis gratiam, qvòd is, hujusmodi excitaverit viros aliqvos, qvi aliorum hominum illustrium, libris consignarunt, vitas & historias.*

*E qvibus, qvoniam certum est, hunc qvoq;, qvicunq; ille etiam fuerit, pium sanè, & diligentem, ac veræ religionis Christianæ studiosissimum fuisse*

Author horum scriptorum primus.

*fuisse hominem, qvi in codice manuscripto Arabico qvatuor Evangelistarum, hæc Prolegomena, & ipsis Evangeliis subjuncta, consignavit, atq; in his accuratè, vitas, inter omnes qvi unqvam in hoc orbe terrarum extiterunt, historicos illustres, illustrißimorum, Evangelistarum nimirùm qvatuor, annotavit.*

HUJUS *viri, piâ & utili diligentiâ, confecta scripta, libenter integra, (ne ingratus, aut invidus, ea diutiùs, publico* Usui *invidisse, meritò dici possem,) publici Juris, nostris typis, fecissem, nisi difficultates ac rationes, in Præfatione, qvodam in loco, breviter, enumeratæ, id hoc tempore impediissent.*

*AD aliud itaq;, ea reservantes tempus, nunc, rem Christiano homine dignam, nos acturos speramus, si Vitas, qvatuor Evangelistarum, ex hisce scriptis, eruamus, & primùm tenui stylo, nostro modo eas lectoribus fideliter communicemus, latinè; Deinde verò, ex* ipso Codice manuscripto Cæsario, *Arabicè, transscribamus. Breviter, ad unumqvemq; locū, additis illis, qvæ in scriptis Novi Testamenti, de ipsis invenimus; Interdum etiā, ex aliis, in primis Ecclesiasticis scriptoribus, qvædā apponemus.*

Qvæ lector benignus, ex hoc libello sperare poßit.

*NEQVAQVAM autem hîc placet omnia, undiqvaq; corrasa, sæpè etiam non pauca, contra veritatem, prodita, in* Unum *congerere, vel singula conferre aut refutare. Sed ea fideliter, ac diligenter annotare, qvæ in sæpiùs jam dictis scriptis Arabicis invenimus, id qvod etiam, Libelli hujus nostri, titulus pollicetur.*

UT *verò lector benignus, eò faciliùs hæc memoriæ mandare poßit, vitas qvadrigæ hujus Evangelistarum, in certos dispertiemur locos, agemusq; primùm breviter in genere, tanqvam in Indice, de omnium* 1. Nomine. 2. Patriâ. 3. Parentibus. 4. Genere vitæ. 5. Vocatione ad Evangelium. 6. Magistro. 7. Discipulis. 8. Qvando. 9. Ubi. 10. In qvâ lingvâ Evangelium scripserint. 11. AEtate. 12. Qvomodo. 13. Ubi. 14. Qvando mortui fuerint. 15. Ubi sepulti. *Deinde de iisdem, in specie, de qvolibet seorsim dicemus.*

Dispositio huius libelli.

Loci 15. in his vitis Qvatuor Evangelistarum observandi.

NOMEN, *igitur qvod attinet, verè divinitùs illustrißimorum horum qvatuor hominū, Sanctorum, nimirum,* Matthæi, Marci, Lucæ, *ac* Johannis, *non est, qvòd hîc aliqvis expectet, è multis, iisq; variis lingvis, cōgesta nomina, sed illa saltē, qvæ in Arabicis hisce scriptis invenim⁹.*

I. Qvæ Nomina, Qvatuor Evangelistarum hîc enumerentur.

DICITUR *autem qvilibet horum, Arabibus* الانجيلي *Id est:* Evangelista, *à libro qvem qvilibet conscripsit, de historiâ vitæ ac Doctrinæ* Unici *Salvatoris nostri Iesu Christi, titulumq; ipsi fecit,* الانجيل *Id est:*

*Id est:* Evangelium. *De qvo nomine, integrum habetur caput qvartum, in Prolegomenis hisce, ceu suo tempore, cum integra prodierint, qvilibet videre poterit.*

Evangeliũ, cujus lingvæ vocabulum sit.

EST autem Evangelii vox Græca, ejusq; interpretatio, Annunciatio boni, *id qvod, his verbis, in principio dicti capitis, clarè habetur:*

والانجيل لفظة يونانية وتفسيرها البشري ۞

CUR *autem hæc scripta dicantur Annunciatio boni; fusiùs in prædicto capitulo exponitur.*

Evágelium qvid?

SICUT *verò* الانجيل Εὐαγγέλιον, Evangelium; *est faustum felixq; sive lætum nuntium, vel (ut plerumq; Arabicam vocem, ab Interpretibus latinè redditam, invenimus,) Annunciatio boni.*

Evangelista qvid?

*ITA qvoq;* الانجيلي Εὐαγγελιςὴς, Evangelista, *erit Annunciator, seu Nuntiator boni, vel author aut propagator fausti, felicis, sive læti nuntii.*

Evangelistę nomé qvot modis sumatur.

1.

*AT, in Novo Testamento, hoc nomine vocantur, qvi erant secundi ab Apostolis,* Act. 21. vers. 8. 2. Timot. 4. vers. 5. *qvosq; illi, tanqvam asseclas, & collegas habebant, in fungendo suo munere, promulgandi Evangelii, ideoq; nulli Ecclesiæ erant addicti. Ita enim* ad Ephesios 4. vers. 11. dicit Divus Paulus: Et ipse dedit qvosdam qvidem Apostolos, qvosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores.

2.

*SED cùm ædificatæ essent Ecclesiæ, & Apostolorum, Prophetarum, ac Evangelistarum munus desiisset,* 1. Cor. 13. vers. 2. Proverb. 29. vers. 18. *translatum est nomen ad qvatuor hos, historiæ Christi scriptores.*

3.

*TANDEMQ; peculiariter pro cognomine, discipulo,* Salvatori nostro *dilectissimo, tributum est, ut ab altero Iohanne, Baptistâ, distingveretur.*

DUO *porrò, ex* his *qvatuor Evangelistis,* Matthæus *videlicet &* Johannes, *alio insuper nomine, in his Prolegomenis capite qvinto appellantur, nimirùm* de Apostolis duodecim حواري *sive Albis,* Qvos elegit DOMINUS noster, de cœtu discipulorum, & vocavit eos Apostolos. *Verba autem Arabica hæc sunt:*

منهم اثنان من الرسل الاثني عشر حواري ۞ الذين

اختارهم سيدنا من جملة التلاميذ واسماهم رسلا ۞ وهما



متى

متي ويوحنا

*E quibus verbis, clarissimè constat, duodecim Apostolos Salvatoris nostri Jesu Christi, de quorum numero, hi duo fuerunt Evangelistæ, peculiari nomine,* حواريون *sive* Albos, *in Arabiæ, primâ Ecclesiâ, vocatos fuisse.*

DICITUR *autem Arabibus, aliàs cōmuniter hæc vox* الحواري *de tritico Albissimo.* Avicennâ teste. l. 2. Canon. Capitulo حنطة *sive* Triticum.

Duodecim Apostoli, cur Arabib[s] dicantur Albi.

CUR *verò, duodecim his Apostolis, eadem vox ab Arabibus attributa sit, non indignum consideratione videtur.*

Prima opinio.

*QUIDAM Viri doctissimi putant, eis hoc nomen inditum esse, ab albis vestibus. Quæ sanè opinio, non admodum absurda esse videtur. Sicut enim, in primitivâ Ecclesiâ, quòd, baptizati, albis vestibus lineis induerentur, ut vestes illæ essent testimonium eorum Baptismi & regenerationis, Dominica in Albis dicta est. Ita ab Apostolorum horum duodecim, vestibus albis, tanquam à primatibus Ecclesiæ, hic ritus, recens baptizatos, albis vestibus ornandi, desumtus esse potuit, indeq; hi Apostoli, Alborum nomen obtinuerunt.*

Secunda opinio.

*QUOD si qvis, hoc nomen his duodecim Apostolis, propter doctrinæ puritatem seu candorem, attributum fuisse diceret, neq; is magni erroris accusari posset. Qvemadmodum enim, inter omnia frumentorum genera, triticum, est optimum, & in variis tritici speciebus, illud adhuc præstantissimum, qvod Arabibus dicitur* الحواري: *Ita etiam horum duodecim Apostolorum doctrina, in omnibus optimis doctrinis, semper fuit præstantissima. Jure itaq; hoc Epitheton ipsis etiam Apostolis, tanqvam hujus doctrinæ propagatoribus, tribuitur. Hujus verò puritatis sive candoris, respectu, hæc doctrina, lactis rectè obtinuit nomen,* 1. Corinth. 3. vers. 2. Hebræ. 5. vers. 12. & 13 1. Petr. 2. vers. 2. *Ipsius etiam effectus gratiâ, doctrina Apostolorum tritico optimo, sive* حنطة الحواري *optimè comparatur. Sicut enim hoc, (præter alias infinitas utilitates,) hominis corpus, præ cunctis aliis granis, si rectè præparatum, concoqvatur, optimè nutrit, alitq;. Ita horum doctrina, si debito modo suscipiatur, animam hominum, verè nutrit, alitq; in vitam æternam. Sed hæc fusius*

*fusiùs tractanda, Theologis relinqvimus, ad qvos etiam, propriè pertinent.*

Tertia opinio.

*SI verò qvis, hos duodecim Apostolos, propter ipsorum vitæ, candorem, puritatem, simplicitatem, ac innocentiam, sic dictos affirmaret, fortè neq; is, omninò aliena diceret.*

Qvarta opinio.

UTI *nec ille, qui ideò hoc factum fuisse assereret, quòd hos suos duodecim Apostolos, Ipse* Salvator noster, *tritico comparaverit,* Luc. 22. vers. 31. *Sed hæc in præsentiâ sufficiant.*

S. Marcus & Lucas fuerunt discipuli Apostolorũ.

DUO *autem reliqui* horum *quatuor Evangelistarum, nimirùm* S. Marcus & Lucas, *dicuntur in his Prolegomenis eodem capite quinto,* de discipulis Apostolorum, *his verbis:*

ومنهم اثنان من تلامذة الرسل ۞ احدهما مرقس وهو كان تلمىذًا لبطرس ۞ والاخر لوقا ۞ وهو كان تلمىذ البولس ۞

UBI, *præter jam à nobis dicta, exprimitur,* Marcum fuisse discipulum Divi Petri, & Lucam Divi Pauli.

Puncta Essentialia, nõ errore qvodam, hic omissa sunt.

*HIC autem nemo putet, errore, bis in dictione* تلمىذًا *sub quarta litera* ى Ja, *duo puncta essentialia omissa esse, sed sciat, in ipso exemplari, illa addita non fuisse, atq; ita studiosi hujus linguæ, nos vera dixisse vident, in* l. 1. Grammatices nostræ Arabicæ, pag. 79. de punctis essentialibus, qvòd illa sæpè, in manuscriptis Arabicis, omittantur. *Quia verò, de his plura, in tractatione speciali dicentur, ideoq; hìc plura addere non libet, sed ad reliqua accedemus.*

2.

PATRIA, *omnium horum quatuor Evangelistarum, fuit Palæstina, sive terra Canaan, quæ posteà, etiam Judæa dicta est, excepto Lucâ, qui natione Syrus creditur.* Τετράπωλις *enim* Antiochia, totius Orientis apex, *dicente* Marcellino lib. *22. ejus patria fuisse dicitur, ideoq; & in eâ, Medicinam fecit. Sed de his plura dicentur, infrà in speciali cujuslibet tractatione.*

Antiochia apex totius Orientis.

3.

PARENTES, *omnium horum Evangelistarum, excepto Lucâ, verisimile est, fuisse Judæos, omnesq;, non Reges aut Principes, sed tenuioris fortunæ proculdubio homines, ceu de Johannis patre, qvi piscator fuit, clarè constat. De* Lucâ *autem, vix aliqvid certi affirmari potest. At, de his qvoq; plura, paulò pòst, in speciali cujuslibet tractatione.*

4.

GENUS VITAE, *qvatuor horum Evangelistarum, post vocationem ad Evangelium, neminem latet. Ante vocationem verò* Matthæus

thæus *fuit exactor publicorum vectigalium*, Lucas, *Antiochiæ Medicus, reliqvi duo, Piscatores. Ceu paulò post clariùs explicabitur.*

VOCATIO AD EVANGELIUM, *omnium qvidem facta est ab ipso Salvatore nostro, sed speciatim duorum istorum, scilicet* S. Matthæi *&* Johannis, *fuit in numero duodecim Apostolorum, Reliqvorum verò duorũ, in numero tantùm septuaginta discipulorum, veluti suprà in tractatione Loci prioris, jam dictum est, & fusiùs infrà, in speciali cujusvis tractatione dicetur.* 5.

MAGISTER, *omnium sanè fuit ipse Salvator noster* Jesus Christus, *ante ascensionem ejus ad Cœlos. Pòst hanc verò, qvamvis omnes inspirati Spiritu Sancto locuti sunt, magnalia DEI. Tamen peculiariter* S. Marcus, *suprà in primo loco, dictus fuit discipulus* Divi Petri, *&* S. Lucas, Divi Pauli. *Qvâ de re in seqventibus etiam plura dicentur.* 6.

DISCIPULI, *qvatuor horum Evangelistarum innumerabiles fuerunt Christiani. Qui verò sigillatim, in Prolegomeno Evangelii* S. Johannis, *illius dicantur fuisse discipuli, infrà in ipsius tractatione enumerabuntur.* 7.

QVANDO, *omnes isti Quatuor Evangelistæ suum scripserint Evangelium, facilè qvilibet conjicere potest, pòst Ascensionem DOMINI nostri* Jesu Christi *ad Cœlos. Qvo verò anno id factum fuerit, ex speciali cujuslibet tractatione, paulò post constabit.* 8.

UBI, *verò* scripserint, *clarè exprimitur*, in climatibus *sive territoriis*, remotis *id factum fuisse, capite qvinto in Prolegomenis generalibus, his verbis:* وكتبوا ذلك في اقاليم متباعدة *Id qvod declarabitur, in speciali cujusvis tractatione.* 9.

IN QVA LINGVA *Evangelium suum scripserint, ex particulari cujusvis tractatione constabit. Non immeritò tamen, à quibusdam hanc qvæstionem scimus motam fuisse, An hi Quatuor Evangelistæ, in Unicâ singuli, suum scripserint Evangelium, lingvâ, an verò in pluribus? Et sanè*, omnium lingvarum scientiâ perfectissimâ, omnes à Spiritu Sancto die Pentecostes, donatos fuisse, *apertè asseritur*; Actor. 2. vers. *3.* & *4.* Omnesq; gentes doceri & baptizari debebant; Matth. 28. vers. *19.* Atq; in Universo Mundo prædicari debuit Evangelium omni creaturæ, Marc. *16.* vers. *15.* *vix itaq; per Unam atq; alteram lingvam, sed per varias & multiplices, hoc fieri potuit lingvas. Quòd verò, hoc Evangelium, sive* hæc boni annunciatio in 10.

An qvilibet Evangelistarum, suũ Evãgelium, in unicâ scripserit lingvâ, an verò in pluribus.

tio in omnes terminos terræ diffundi debuerit, *in sæpiùs dicto* cap. 5. Prolegom: *his verbis habetur:*

وانتشرت هذه البشري في اقطار المسكونة

*HÆC porrò quæstio, cùm ad Theologos etiam pertineat, iisdem à nobis relicta sit.*

Rectè dici, qvòd qvatuor Evangelia, primùm tribus lingvis, Hebræâ, Græcâ, & Latinâ conscripta fuerint.

*HOC* Unum *nobis jam succurrit, adhuc annotandum. Rectè, (ut latiùs dicetur in singulari cujusvis tractatione,) hi Qvatuor Evangelistæ, tribus lingvis primùm sua conscripsisse Evangelia dicuntur,* Hebræâ *nimirùm* S. Matthæus, Græcâ, S. Lucas & Johannes, Latinâ S. Marcus.

*NAM, sicut Titulus, qvi cruci, de qvâ Salvator noster pendebat, tunc superpositus fuit, hac triplici lingvâ, à Pilato conscriptus erat, Ita etiam per has tres lingvas, historia & doctrina Redemptoris nostri, primùm conscribi æqvum fuerat. Hæ enim tres lingvæ, tùm temporis, maximè inter doctos in usu erant. Hìc verò intelligimus has lingvas, cum suis qvamlibet,* ἰδιώμασι. *At hac de re, fortè alibi plura.*

An ipsi Evãgelistæ, sua scripta, etiã in alias traduxerint lingvas.

*SED, An hi qvatuor Evangelistæ, hæc sua Evangelia, ipsi in alias etiam traduxerint lingvas, nostrum non est affirmare, ne professionis nostræ limites, transgredi videamur.*

11\.

AETAS, *hanc omnium horum qvatuor Evangelistarum, cùm sua Evangelia scriberent, ultra tricesimum fuisse annum, probabile est, cùm ipse filius DEI, Salvator noster, ante hanc ætatem, suum ministerium, ingressus non fuerit. Omnes autem jam senes, ex hac vitâ discessisse, æqvè probabile esse videtur, supputatione factâ, ex tempore, qvo qvisq; suum scripsit Evangelium.*

12\.

QVOMODO, *omnes hi quatuor viri sancti, mortui fuerint, ex singulari cujusvis historiâ, paulò post constabit. Tres enim priores, per martyrium, sanguine, suam doctrinam, veram esse, confirmarunt. Qvartus autem, S. Johannes, ex arcano DEI Patris consilio, admodum senex, placidissimâ morte naturali, ad æternam, transiit vitam. Qvod, cur factum fuerit* Theologis *inqvirendum relinqvimus.*

13\.

UBI *mortui fuerint, hi Qvatuor Evangelistæ omnes, certum est, nullum in Patriâ suâ defunctum esse, sed, sicut (ceu loco nono præcedente dictum est,) omnes in terrâ remotâ à patriâ suâ, Evangelium scripserunt suum. Ita quoq; omnes, extra patriam obiisse, infrà in speciali cujuslibet tractatione indicabitur.*

14. QVANDO *verò mortui fuerint, cuilibet qvoq; constat, pòst ascensionem Salvatoris nostri ad cælos, id contigisse, ceu ex speciali tractatione patebit.*

15. UBI *deniq; sepulti fuerint, isti omnes qvatuor Evangelistæ, idem, qvod in loco præcedente 13. diximus, repeti potest. Nullum nimirùm in Patriâ suâ sepultum fuisse, sed omnes in peregrinis locis extra illam.*

*ATQVE hæc brevissimè, in genere de omnibus qvatuor Evangelistis dicta sunto.*

NUNC *verò, ad specialem cujusvis tractationem deveniemus, ubi simili planè, modo, ut eò faciliùs memoriæ mandari possint, eosdem locos qvindecim, de qvolibet in specie examinabimus.*

# VITA S. MATTHÆI
## APOSTOLI ET EVANGELISTÆ.

I. *S. Matthæi διώνυμος.*

NOMEN, *primi horum Qvatuor Evangelistarum, est* Matthæus, qvi fuit nominatus Levi, *id qvod in Prolegomenis ejus, his verbis exprimitur:*

أَوَّلُ ذلك بشرة متّى المصطفي ❀ الذي كان يُسْمَى لاوِي ❀

*HOC verò cum ipsâ veritate congruere, testes sunt,* Divus Marcus cap. 2. vers. 14. *dum ait:* Et cùm præteriret, vidit Levi Alphæi sedentem ad telonium, & Divus Lucas cap. 5. vers. 27. *dicens:* Et posthæc exijt, & vidit publicanum, nomine Levi, sedentem ad telonium; *Nec non* eodem capite, vers. 29. Et fecit ei convivium magnum Levi in domo suâ.

*Levi unde apud Arabes deduci possit, & qvid significet.*

*SCRIPTIO autem hujus nominis Arabica, nonnihil alia esse videtur, à Latinâ, vel aliarum lingvarum. Non enim* لوِي Levi, *sed* لاوِي Lavi, *scribitur; Qvæ diversitas scriptionis tamen, si hæc vox Arabica est, nihil significationem variat. Nam* لوي *radix,* Intorqvere, involvere, flectere, *&c: significat, idem qvoq; alia ejus forma* لَاوِي. *Essetq; hac ratione* Lavi *vel* Levi, Intortus, Involutus, Inflexus, *qvòd hic* Matthæus, *anteqvàm à Christo vocatus fuit, miserè in iniqvissimo suo ministerio, ab avaritiâ, dolis, aliisq; innumeris iniqvitatibus, involutus,*

*involutus, intortus, sive inflexus fuerit, non verò ut vulgò exponunt, Copulatus.*

*SED hæc, in gratiam studiosorum linguæ Arabicæ, scripta esse, sciant, lectores benevoli, suoq; liberrimo, hac in parte, gaudeant Judicio. Ita enim speramus, studiosos, non saltem in lectione & scriptione hujus linguæ, se exercendi habituros, materiam, sed & (id quod ipse vigor, hujus linguæ est,) in radicum investigatione, earumq; formatione ac flexione.*

Vigor lingvæ Arabicæ.

Matthæi nomen, dupliciter, ab Arabibus scribitur.

DUPLICITER *porrò, in Arabicis exemplaribus, alterum illud nomen* Matthæi *scribitur. Typis enim impressa exemplaria omnia* متّي *per* ت Ta, *Manuscriptum verò* مثّي *per* ث Tsa, *habet.*

Notæ in textū S. Matthæi, ex collatione qvinq; lingvarum.

*SI itaq; prior scriptio retineatur, jam eam examinavimus in titulo, Evangelii* S. Matthæi, cùm illud non solùm ex lingvâ Arabicâ, ad verbum latinè redderemus, sed insuper etiam, ex collatione textus Hebræi, Syriaci, Græcorum & Latinorum, in illud nuper notas scriberemus. Qvi Labor, verè pistrino dignus, non citiùs publici fiet Juris, donec priùs, horum conatuum, viderimus successum, Mœcenatesq; eorum, nacti fuerimus.

*QVOD si, posterior scriptio, magis arrideat, poterit à radice* وثي *quæ*, torsionem *sive* contorsionem *significat, deduci, essetq; hac ratione hujus nominis eadem ratio, quæ fuit alterius præcedentis* لاوي Lavi, *nimirùm contortus, &c: Neq; alicui mirum videatur, quòd nos diversas, unius nominis derivationes, tradamus, pro diversâ scriptione, cùm & in hebrææ indagandâ hujus nominis origine, diversi diversas tradant derivationes. Qvidam namq; à* נתן *Alii à* מותה *Alii deniq; à* מתח *deducunt.*

*SED ipse titulus, & textus Arabicus, horum Præmissorum Sancti Evangelii,* Divi Matthæi, *Interpretatur hoc nomen, per* Electum.

S. Matthæi nomen Electum significare.

HORUM *enim* προλεγομένων *titulus, ita habet:*

مقدمة انجيل متي المصطفى ———— ي ☙

*ATQ; paulò post ibidem, in illorum textu clariùs ita hoc affirmatur:*

وتفسير اسمه المصطفى ———— ي ☙

*ET mox quoq; ceu etiam paulò ante citavimus, dicitur.*

اوّل

Id est: ☙ أول ذلك بشرة متى المصطفى

ET interpretatio nominis ejus, electus. المصطفي Almushthaphei *verò, qvòd* electum, *sive* clarum, syncerum, *vel* purum *significet, ejus origo seu radix apertè docet.* صفي *enim, & in formâ* ا *Aliph,* اصفي, *aut in aliâ adhuc formâ, (unde etiam formatum est,)* اصطفي *significat* eligere, clarum, syncerum, purum, ac defecatum reddere.

*ET hinc jam, me etiam tacente, patet,* Unde *nomen illud dignitatis in Asiâ ortum fuerit, qvòd qvidam (ut vulgò dicitur,)* Mustafi, *sive* Mustafii *dicantur, non exactè, observatâ literarum Arabicarum scriptione. Ita qvoq; nomen summæ dignitatis Regiæ apud Turcas* السلطان Assulthan, *sive* سلطان Sulthan, *in modò prædictis nostris,* in textum Evangelii S. Matthæi, *cap.* 7. vers. 29. *notis, declaravimus.*

Mustafi sive Mustafii, unde dicantur.

FUIT *autem, hic primus Evangelistarum,* Unus *ex* حواري *seu è duodecim Apostolis* Albis, *ut suprà, è capite qvinto, præmissorum in genere, in loco primo generali diximus.*

PATRIA *hujus primi Evangelistarum est* Nashirit, *(vel ut vulgò scribitur* Nazareth,) *oppidum in tribu* Zabulon. *Fuit itaq;* πατριώτης Joseph & Mariæ matris Salvatoris nostri, *Imò & ipsius* Salvatoris nostri Jesu Christi, *cujus, rectè etiam hoc oppidum Patria dicitur, qvia in eo conceptus & educatus fuit.*

2. Côterranei S. Matthæi.

*CLARE autem, hoc oppidum, Patria* S. Matthæi *dicitur in Arabicis hisce Prolegomenis, per hæc verba:*

وهو من مدينة الناصرة ☙

UNDE *verò hoc oppidum dicatur* ناصرة Nashirit, in prædictis nostris notis, in Evangelium Matthæi cap. 2. vers. 23. *jam diximus.*

Nazareth, unde Arabibus dici possit.

*ET sanè non memini apud ullum alium scriptorem, me hujus primi Evangelistæ patriam legisse, qvàm in hisce Prolegomenis Arabicis.*

Patria Matthæi, hactenus, vix nota fuit.

PARENTES *hujus Evangelistæ, fuerunt ex tribu Isaschar, vel ut hîc in ejus Prolegomenis Arabicè legitur,* Aisaacher. *Nam* ex hac

3.

tribu, *hic Evangelista fuisse, dicitur his verbis:* وهو من سبط ايساخر *Hinc ergò jam patet hunc Evangelistam, non ideò Levi vel* لاوي *Lavi dictum fuisse, qvòd ex tribu Levi, natus fuerit, (ut qvidam opinantur,) sed aliam ob rationem. Pater verò ejus communiter* Alphæus *dicitur, ex* Marc.cap.2.vers.14. *&c: Qvod nomen, ita scriptum, Tyroni hujus lingvæ, non injuriâ, videri potest Arabicum.* ال Al *enim articulus est Arabum,* Phæus *itaq; tunc nomen esset. Sed Arabicè rectiùs ita scribitur* حلفي Halphæi, Matth.10.vers.3. *ubi etiam hoc nomen jam enodavimus, vel* حَلْفَا Halphaa, ut Marci 2. vers. 14. *&c: Ideoq;* Hal, *non potest ex hac scriptione videri articulus, sed radicem esse* حلف *facilè patet.*

Pater S. Matthæi.

Alphæus, qvomodo Arabibus scribatur.

*IN hisce verò Prolegomenis Pater* S. Matthæi *dicitur* Ducu, *& mater* Karutjas, *qvod non recordor me alibi unqvàm vel legisse vel audivisse. Verba autem hæc sunt:*

Mater S. Matthæi, hactenus vix etiam nota fuit.

واسم ابيه دوقو ❀ واسم امه كاروتياس ❀

NEQVE *miretur aliqvis patrem* Matthæi, *duo, habuisse nomina, cùm hoc freqventissimum sit in sacris literis. Posset autem, hoc nomen* دوقو Ducu, *(qvod aliàs Daucum significat, Avicennæ l. 2. Canon: in litera* الدال Addal, *capite, de Dauco,) deduci à* دقي, *qvod* luxuriosum *significat, & alterum* كاروتياس Karutjas, *à radice* كري, *qvæ* conducere, *vel* pretio elocare. *Imò, etiam* fodere *significat, &* وسي, *qvod* administrare, communicare, donare, largiri, *&c: valet. Sed hæc in gratiam tyronum hujus lingvæ, ut ad radicum investigationem, manu qvasi ducantur, dicta sufficiant.*

Ducu & Karutjas nomina, unde Arabibus deduci possint.

GENUS VITAE S. Matthæi, *anteqvàm, à* Salvatore *nostro, vocatus esset, ad ministerium Apostolicum, fuit idem cum aliis publicanis,* exactio nimirùm publicorum vectigalium in telonio, Matth. 9. vers. 9. Marc. 2. vers. 14. Luc. 5. vers. 27. *Unde vocatus à Christo, relictis omnibus, surgens, secutus est eum,* factusq; est ex publicano, *non saltem* unus *de numero* discipulorũ JESU, *sed & Unus de duodecim* Apostolis, *ceu his verbis in ejus Evangelii Prolegomenis exprimitur:*

S. Matthæ'. non tantùm fuit Salvatoris nostri discipulus, sed & Apostolus, & Evãgelista.

الذي من بعد الجباية صار تلميذا ورسولا ❀

*TANDEM cum historiam vitæ & doctrinæ* filii DEI Salvatoris nostri,

nostri, *libro suo, cujus Titulus* Sanctum Jesu Christi Evangelium, secundum Matthæum, *conscripsisset, factus quoq; est Evangelista.*

Res gestæ S. Matthæi ubi inqvirendæ.

*ALIA plura, ut res gestas sive Acta* S. Matthæi, *qvi cognoscere voluerit, alios scriptores consulat, non enim hoc nobis propositum fuit, illa omnia hîc colligere, sed ea saltem, qvæ in his Prolegomenis, vel in iis qvæ Evangeliis postposita sunt, in hoc manuscripto Arabico, in qvindecim locos digesta, commemorare.*

5.

VOCATIO AD EVANGELIUM *hujus primi Evangelistæ, clarissimis verbis describitur,* Matth. 9. vers. 9. & Marc. 2. vers. 14. *nec non* Luc. 5. vers. 27. *Ubi dicitur* Matthæus publicanus sedens ad telonium, vocatus, reliqvisse omnia, ac surrexisse, secutumq; esse Christum. *Id qvod in hisce prolegomenis breviter in verbis modò citatis expressum habetur:*

6.

MAGISTER S. Matthæi, *fuit,* Salvator noster *qvi ipse, & immediatè qvidem, eum è telonio vocavit, atq; ad prædicationem sui Evāgelii, unà cum reliqvis Apostolis & discipulis, in Universum Mundum emisit. Ceu ex locis paulò antè allegatis, aliisq;* Novi Testamenti *pluribus clarè apparet. Qvibus etiam accedit, caput qvintum, in Prolegomenis hisce Arabicis generalibus, per verba superiùs, in loco primo generali allegata.*

7.

DISCIPULI *hujus Evangelistæ, præter infinitos Christianos, in diversis orbis terrarum partibus, post resurrectionem Christi fuerunt Iudæi, id qvod præter alios etiam scriptores, clarè testantur hæc verba Prolegomeni illius:*

لما اجتمع اليه جموع كثيرة من اليهود الذين دعاهم
وامنوا واصطبغوا ۞ تضرعوا اليه وطلبوا منه ۞ &c:

8.

QVANDO *autem* S. Matthæus *suum Evangelium scripserit, elegantissimè, in illis, qvæ in hoc manuscripto, ipsius Evangelio, præposita & postposita sunt, declaratur; id qvod de reliqvis tribus qvoq; Evangelistis, in eorum fit Evangeliis, adeò, ut hic locus, cum seqventi, ubi nimirùm scripserit qvilibet, principaliter me, inter alia, ad subeundum hunc laborem incitaverit.*

S. Matthæũ An. 1. Claudii, An. 9. pòst Ascensionē Christi Evangelium suum scripsisse.

SCRIPSIT *ergò,* anno primo Imperii Claudii, Imperatoris Romanorum, *Sic enim in prolegomenis Evangelii ejus habetur:*

وكتب في السنة الأولى من ملك اقلوديوس ۞ &c.

*ET*

*ET in iis, qvæ postposita leguntur, idem ita legitur:*

وكتبها &c: في اول سنه من ملك اقلوديوس ملك رومية &c.

ANNO *verò* nono, post ascensionem DOMINI nostri Jesu Christi, hoc factum fuisse, *dicitur in Prolegomenis his verbis;*

وهي السنة التاسعة للصعود المقـــــــدس &c.

*IN illis verò, qvæ postposita sunt,* anno octavo, *ita enim sonant verba illa:*

Diluitur cōtradictio.

بعد صعود سيدنا والهنا المسيح بثمان سنين &c.

*ET certè nulla hìc est contradictio, etiamsi minùs accuratè consideranti, primâ fronte, non levis esse videatur. Hoc, cum veritate consentire, paucis demonstrabimus.*

*IN loco mox seqvente, cùm tractabimus,* Ubi locorum, D. Matthæus *suum conscripserit Evangelium, videbimus, eum in aliâ illud cœpisse regione, in aliâ verò absolvisse. Unde rectè* anno octavo post Ascensionem Salvatoris nostri *cœpisse dicetur,* S. Matthæus Evangelium suum *absolvisse verò anno nono.*

Alia contradictio solvitur.

*EODEM planè modo, illa controversia dissolvi potest, qvâ noster hic textus, dicit,* anno primo Claudii Cæsaris scripsisse, D. Matthæum, *absolventem nimirùm, Evangelium suum; Author verò Chronici illius, qvod nomen Eusebii præfert, dicit* librum Evangelicum à Matthæo compositum esse anno tertio Imperii Caij Cæsaris, *incipiendo nimirùm. Hic enim annus est octavus pòst Ascensionem sanctam, id qvod annos illos rectè computanti, facilè innotescet. Qvam computationem, fortè, ad calcem libelli, in gratiam studiosorum breviter apponemus, ut uno qvasi intuitu appareat, qvot annorum spatio, Unus horum Qvatuor Evangelistarum, pòst alterum scripserit.*

Promittitur ad calcem libelli, cōputatio annorū, qvando hi qvatuor Evangelistæ scripserint.

*AN verò cum his consentiat, qvod vir magni nominis in hac nostrâ Germaniâ ante aliqvot annos scripsit:* Evangelicum scriptum composuisse Matthæum, iis temporibus, qvibus Romæ Petrus & Paulus docendo Evangelium, Ecclesiæ fundamenta jecerint ex Irenæo retulisse Eusebium l. 5. historiæ Ecclesiasticæ, *judicent alii.*

*NAM anno post ascensionem DOMINI, trigesimo qvinto, Nero, filius Claudii, Imperator Romanus, anno regni sui decimo tertio, dicitur occidisse* Petrum & Paulum, *ut infrà, in vitâ* S. Iohannis *videbimus, & in computatione annorum, qvam, nos ad calcem hujus libelli apponere, modò promisimus, repetemus.*

AUT *igitur* DD. Petrus & Paulus, *ad viginti septem annos Romæ vixisse, necesse est, dicantur; aut hoc tempus, qvo scriptum Evangelicum composuisse* S. Matthæus, *à jam dicto viro Clarissimo dicitur, rejiciendum est. Ad hæc*, Eusebius lib. 5. hist. Ecclesiast. cap. 8. *non tunc composuisse* S. Matthæum, *suum librum Evangelicum, asserit, cùm Petrus & Paulus Romæ, docendo Evangelium, Ecclesiæ fundamenta jacerent, sed* Ebræis Evangelium in ipsorum lingvâ Matthæum obtulisse, aliqvot, scilicet, jam, annos antè, conscriptum. *Hæc enim sunt verba Eusebii in loco jam allegato:* Ipsius Irenæi verba subjiciamus & primùm, qvæ de sacris Evangeliis ad hunc modum scripsit: Matthæus qvidem Ebræis in ipsorum lingvâ Evangelii historiam obtulit, cùm Petrus & Paulus Romæ Evangelizarent, & Ecclesiam fundarent. *Aliud autem esse librum componere, & librum offerre, qvis ignorat? Sed de his satis.*

An DD. Petrus & Paulus. 27. annis Romæ vixerint.

Verba Eusebii.

Aliud est librum cōponere, & librum offerre.

UNUM *hoc loco, præterea notent studiosi, in verbis Arabicis, ultimo loco, jam à nobis citatis, Salvatorem nostrum in carne non solùm* DOMINUM nostrum, *sed &* DEUM nostrum vocari, cum Divo Thomâ, Joh. 20. vers. 28. *Dicitur enim* S. Matthæus *Evangelium suū scripsisse,* بعد صعود سيدنا والهنا المسيح ۞ *Id est, (ad verbū redditis,)* post ascēsionē DOMINI nostri & DEI nostri Christi.

8.

UBI *hic primus Evangelistarum, suum Evangelium scripserit, clarè in Prolegomenis ejus, his verbis explicatur;* وكتب بداية هذه البشرة بفلسطين ٭ وكملها في الهند عبرانيا ۞ *Ubi expressè* S. Matthæus *dicitur*, scripsisse principium hujus Evangelii in Philistæis, *sive Palæstinâ Provinciâ Syriæ, Arabiæ conterminâ, quæ ab* Urbe *Philistim metropoli sic dicta fuisse, à quibusdam perhibetur*, & complevisse illud in الهند *(fortè Indiâ)* Ebræâ. *In Postpositis verò, Arabicis, hujus Evangelii, saltem fit mentio loci, ubi cœperit scribere, sicut etiam, in loco priore, monstravimus, hæc postposita, solùm, anni illius fecisse mentionem, in quo hoc scriptum Evangelicum, cœptum fuerit.*

9.

Palæstina, qvæ regio, & unde dicta sit.

REDDITUR *autem præterea in his postpositis ratio, cur* S. Matthæus, *in* Philistæâ, *seu* Palæstinâ *scripserit, quia nimirùm eò, ex terrâ* Judææ *ejectus fuerit, à persecutoribus nimirùm Evangelii, sed in gratiam* Judæorum, *qui* Spiritui Sancto, *adeò pertinaciter non resistebant, & à se ut Ebræâ linguâ Evangelium scriberetur, petierant, (ut paulò pòst*

Cur S. Matthæus in Philistæâ scripserit.

*pòst in loci seqventis tractatione, dicetur,) obœdiens petitionibus eorum, in regione vicinâ, orsus est hunc librum suum.*

*VERBA autem postpositorum hæc sunt:*

كمل نسخ بشارة متى التي كتبها بارض فلسطين حيث طرده
الرسل من ارض اليهود ——————————

NEQVE *hìc aliqvis, in ultimis duabus literis, suspicetur, negligentiâ, aut errore fortè, deesse puncta essentialia, sed sciat, ita in manuscripto illo, omissa fuisse. Nam sic adjecta esse debebant* دۃ. *In* προλεγομένων *porrò verbis, duo inprimis consideranda sunt.*

Primum dubium.

PRIMUM, *qvod & in postpositis recurrit, scio qvosdam, minùs approbaturos, quòd hic author, quisquis etiam ille fuerit, nomine* فلسطين Phelisthijn *sive* Philisthijn, *utatur, quod tamen nomen, exceptis scriptis, Testamenti veteris, apud paucos alios scriptores invenitur, sed unà cum gente, extinctum esse, multis, ante tempora Apostolorum, seculis, jure videri posset.*

Ejus solutio.

1. *ILLOS verò, monitos volumus, ne hoc vocabulo offendantur, quo studiosè, & animo deliberato, hunc scriptorem, usum fuisse existimo, ut non solùm cum* Veteris Instrumenti *libris, rectè loqui videatur,*
2. *sed ut etiam accuratiùs locum, in quo primùm historia, de vitâ & doctrinâ Salvatoris nostri, scriptis consignari cœperit, indicaret, simulq; non pauca mysteria,*
3. *de typis, in* Veteri Testamento, *hujus doctrinæ, olim exhibitis, explicaret, de qvibus tractare, ut Theologorum est, ita etiam nos, ipsis ea relinquimus.*
4. *Sed insuper fortè, apud* Arabes, *illius regionis & gentis nomen, in integro, hodiè adhuc, est usu, qvâ de re, tempore,* σὺν Θεῷ, *certiores reddemur.*

Secundum dubium.

ALTERUM *est, qvòd* S. Matthæus *dicatur suum Evangelium complevisse, sive absolvisse,* في الهند عبرانيا *Id est:* In الهند *(fortè Indiâ)* Ebræâ. *Hoc solidè explicare, reqvireret certè hominem, solis studiis qvietè operam dantem; non verò ab aliis negotiis, maximè à tædiosissimâ praxi medicâ, adeò interturbatum. Imò, etiamsi hoc non fieret, majori tamen eruditione ac ingenio præditum. Nunqvam enim memini, me vel legisse vel audivisse,* Indiæ *aliqvam partem,* Ebræam *dictam fuisse, diuq; de lectione textus, maximè, in primo vocabulo,* الهند *sive* Indiæ *dubitavi. Verùm cùm paulò pòst, in eodem Prolegomeno, idem vocabulum recurreret, dum dicitur;* Et inter-

interpretatus est hoc Evangelium (*scilicet* S. Matthæi,) Johannes filius Zebedæi, in civitate Alalseni, & prædicavit in eo in Jeruschalim & Indiâ, *vel* الهند *verba Arabica hæc sunt:*

S. Johannes Evangelista prædicavit Evágelium D. Matthæi.

وفسّر هذه البشرة يوحنا بن زبدي بمدينة الالشن ۞

وكرز بها في ايروشليم والهند ۞

SUSPICABAR *itaq; primùm, hujus vocis* الهند*, plures esse significationes, & hoc loco fortè, nomen proprium esse alicujus civitatis, aut tractus terræ hebræorũ. Ideoq; sollicitè inqvirebam significationes hujus vocabuli, sed semper, & apud* Avicennã, *&* Geographum illum Arabem, *inveni* Indiam *significare. Et qvia hìc punctũ vocale, in primâ syllaba* ـه *deest, desiderabã illud etiam scire, ac tandem inveni,* in Avicennâ manuscripto, lib. 2. canon. in litera ا Aliph, cap. 12. de Ungve aromatico, cum Kesru, *hoc modo legi,* الهند. *Inde adhuc magis confirmabatur illa opinio, hanc vocem,* Indiam *sonare, sed, per aspirationem levem, à principio, legendam & scribendam, nimirum,* هند hindi, *vel cum articulo* الهند Alhindi, *& ita Latini, ad calcem dictionis adjecerunt tantùm, terminationem primam, declinationis primæ, abjectâ in principio aspiratione illâ leni.*

VERUM, *ne ultra institutum, hìc immoremur, dicam, qvod sentio, hac in parte. Ego hoc loco, nomen loci esse statuo, cujus cognitionem, nos nondum habere, ingenuè fatemur, aut si aliqvando cognovimus, ejus certè nunc non recordamur.*

Ejus solutio.

1.

2.

SI *verò qvis,* Indiam Ebræam, *ut verba sonare videntur, omninò dicendum esse contẽderet, haberet etiam, qvod prætenderet. Nam, ut* vir qvidam Doctissimus, *in descriptione Æthiopiæ sub Ægypto commemorat,* Indorũ interdum nomine censeri AEthiopes. Sicut è contrario Indi Arabesq; non rarò AEthiopiæ tributi, qvod gentium ultrò citroq; navigantium commercio, præterea & formæ similitudine accidisse videtur. Solibus enim æstivis, Indi, haud multò minùs, qvàm AEthiopes aduruntur. Unde nimirùm à Marone dictum, lib. Georg. 3. ubi de Nilo loqvitur:

Et viridem AEgyptum nigrâ fœcundat arenâ

Usq; coloratis amnis devexus ab Indis. *Posset igitur, ex hisce authoritatibus, ipsa* Arabia Petrea, *(in qvâ est* Sina mons, *tot divinis miraculis*

*miraculis, in primis* altero testamento, *qvod in ipso datum est, nobilissimus; Est autem ille mons* conjunctus ei, qvæ nunc est, Jerusalem, ad Galat. cap. 4. vers. 25.) *Et conterminâ sibi* AEgypto, *ac* AEthiopiâ, *per* Indiam Ebræam *intelligi, qvòd horum populi* Indi *dicantur, & conjuncti sint* Palæstinæ, *sive terræ Hebræorum.*

IN AEthiopiâ *enim* S. Matthæum *Evangelium prædicasse, & in eâ martyrium subiisse, qvis est, qvi ignorat?*

HUIC *opinioni quoq; non refragatur illa divisio* Indiæ, Abdiæ, l. 8. in principio vitæ D. Bartholomæi, qvâ triplicem facit Indiam. Primam qvæ ad AEthiopiam vergit; secundam, qvæ ad Medos; tertiam, qvæ finem facit. *Sed hæc in præsentiâ sufficiant, fortè alio tempore, de his plura dicentur.*

*DE loco autem Arabico, modò adducto, in quo dicitur* S. Johannes exposuisse Evangelium S. Matthæi, & prædicasse in eo, *alibi fortè & infrà in vita* S. Johannis *loco quarto, plura dicentur.*

10. S. Matthæ' in Ebræâ lingvâ suũ conscripsit Evangeliũ.

IN QVA *porrò* LINGVA, *hic primus Evangelistarum suum Evangelium scripserit, clarè exprimitur, in ejus Prolegomenis,* cum ad petitiones Judæorum, illud in lingvâ Ebræâ conscripsisse, *his verbis, quorum magnam partẽ etiam suprà, loco sexto præcedente, jam citavimus.*

لما اجتمع اليه جموع كثيرة من اليهود الذين تعاهـــم
وامنوا واصطبغوا ۞ تضرعوا اليه وطلبوا منه ۞ ان يقوّي
عزمهم بتصّر ما تعاهدهم به وبشرهم ۞ في كتابٍ باللغـــة
العبرانيه ۞ فاجاب سؤالهـــــــــم ۞

Cur Evangelium, primùm in lingvâ Ebræâ scriptum fuerit. Ratio. 1.

*ET certè, singulari DEI omnipotentis consilio, factum esse puto, qvòd lingvâ Ebræâ, primùm, Evangelium conscriptum fuerit, ut populus, DEO præ omnibus terrarum gentibus, charissimus,* Exod. *19.* vers. 5. *&c:* ad qvem solum, se, Salvator noster, missum esse dicit, Matth. 15. vers. 24. ad eumq; primò, Apostolos suos ire jubet, Matth. 10. vers. 6. illi enim oportebat primùm loqvi verbum DEI, Actor. 13. vers. 46. & huic primùm Evangelium, virtus DEI est in salutem omni credenti, Rom. 1. vers. 16. *ut inqvã hic populus* Israël, *in ultimo Judicii die, eò minùs excusationis habere possit. Omnia .n. illius scripta sacra, hac lingvâ cõsignata erant. Imò omnia ejus sacra, hac lingvâ celebrabãtur.*

2. *HAC lingvâ, omnes ferè Prophetæ, paucis exceptis, Prophetias suas de Salvatore nostro conscripserant.*

*HAC etiam linguâ, Titulus Salvatoris nostri, in Cruce pendentis primùm conscriptus fuit.*

Αὐθεντικὸν *autem* S. Matthæi, *textum Ebræum, non esse illum, qvi nuper, in Germania editus est, demonstravimus, in prædictis jam aliqvoties*, notis nostris in textum S Matthæi. *Fortè ille adhuc DEI omnipotentis benignitate, aliqvando, Ecclesiæ communicabitur.*

Textus hebræus S. Matthæi in Germaniâ editus, non est αὐθεντικός.

*NEQVE nos quicqvam movet, quòd* qvidam vir doctissimus in Annotationibus cap. 8. & 19 S. Matthæi, *scripserit*, sibi probabilius videri, Evangelion Matthæi eâdem scriptum esse linguâ, qvâ cæteri scripserint. *Rectè enim ferè cum omnibus, Ecclesiæ, sanis doctoribus, statuimus, ex hisce etiam Prolegomenis Arabicis*, S. Matthæum linguâ Ebræâ suum conscripsisse Evangelium, primùm. *Qvis verò, an ipse author, in Græcum sermonem transtulerit, pro certo affirmari non potest, neq; nostræ hoc est professionis, ut supra, loco generali decimo, jam diximus.*

An omnes qvatuor Evãgelistæ, unâ linguâ Evãgelium scripserint. Qvis S. Matthæi Evãgelium trãstulerit, incertum est.

11.

AETAS S. Matthæi, *neq; in his scriptis Arabicis, neq; in ullo alio authore, qvòd ego sciam, expressa est. Eum verò ad senilem accessisse ætatem probabile est, qvâ de re, etiam supra in loco Undecimo generali, qvædam scripsimus.*

12.

QVOMODO *autem hic Primus Evangelistarum mortuus fuerit, vel qvo genere mortis clarificaverit Deum, omnes Unanimi consensu asserunt, eum subiisse martyrium, sed in genere mortis, minùs exqvisitè conveniunt. In hisce enim Prolegomenis ejus, ita habetur:*

وكانت شهادته بمدينه بشبري رَجْمــــــــــــــاً ۞

Ubi dicitur fuisse martyrium ejus in civitate Beschberi رَجْماً *qvod ultimum vocabulum, aliud planè genus mortis, innuere videtur, quàm reliqua scripta, ac si* S. Matthæus lapidibus obrutus fuisset, vel lapidando martyrium subiisset. *Nam radix* رجم, *inter alia* lapidare, lapidibus obruere *significat, ceu ex multis locis Evangeliorum patet.*

S. Matthæus an lapidibus obrutus fuerit.

*ALII verò, dicunt eum capite truncatum fuisse, adducuntq; hujus suæ assertionis testem,* Abdiam. *Sed certè, nescio, an hoc dicat, versio* Abdiæ à Juliano Africano, *facta, (Hebræum enim textum, ad manus non habemus,) cujus de morte* S. Matthæi, *hæc sunt verba:* Itaq; non multò pòst, expansis manibus orantem, spiculator missus ab Hyrtaco, à tergo punctim, Unius gladii ictu feriens Apostolum martyrem Christi effecit. *In quâ narratione, quid vocabulum illud punctim, denotet, lectoribus liberum, relinquimus, judicium.* Joachimus Perionius *dicit;*

An capite truncatus.

*dicit, eum securi percussum fuisse, plùs fortè sensum respiciens, qvàm instrumenti circumstantiam.*

An clavis in terram defixus.

Nicephorus verò lib. 2. cap. 41. *narrat* Matthæum apud Antropophagos in Urbe Myrmena munus concionandi clausisse; & ibidem clavis in terram defixum esse.

13.

Beschberi Civitas.

UBI *verò hoc factum fuerit, ex modò allegatis, verbis Prolegomeni patet, nimirùm* بمدينه بشبري *Id est:* In civitate Beschberi. *Qualis autem hæc sit Civitas, hujus loci non est, multis explicare, veluti neqꝫ, an sit eadem qvæ aliis* Naddaver *dicitur. In hoc enim oppido, omnes ferè reliqui scriptores,* S. Matthæum, *martyrio coronatum affirmant.*

14.

باب qvid significet.

QVANDO *porrò hoc factum fuerit, video plerosqꝫ, definire,* Annum Christi, septuagesimum sextum. *In hisce tamen, Evangelii* S. Matthæi *præ & postpositis Arabicis, adeò præcisè hoc non definitur, sed* in secundo decimo بابه *factum fuisse, dicitur, his verbis:* في ثاني عشر بابه *Qvid autem hoc loco* باب *significet, doctioribus hujus linguæ, definiendum relinquo. Communiter enim, ceu in Evangeliis freqventissimè obtingit,* Januam, ostium, portam, *hæc vox significat; Aliàs etiam* genus, modum, consilium, *sonat. At hæc omnia minus aptè huc quadrare videntur. Posset fortè, annus duodecimus, à conscripto Evangelio* S. Matthæi *intelligi. Sed in his ab aliis potiùs, & ab ipso tempore, ut in plerisqꝫ perfectiùs edoceri cupimus.*

15.

Arthagenetu Cæsareæ.

*TANDEM* UBI *hic primus Evangelistarum* sepultus fuerit, *clarè in Prolegomenis istis,* in Arthagenetu Cæsareæ, *hoc factum fuisse dicitur, Ita enim legitur:* ودفن في ارطاجنه قيسارية *Quæ verò, & qualis hæc fuerit Civitas, alterius loci est inqvirere. Cæteri dicunt, in*

Naddaver.

Naddaver, *(ubi & martyrium eum subiisse statuunt, ut jam diximus,) hunc Evangelistam sepultum esse, Unde &* Venantium, Honorium, Clementianum, Fortunatum, Ex lib. 8. de gaudiis & spe vitæ AEternæ, *sic canentem citant:*

> Inde triumphantem fert India Bartholomæum,
> Matthæum eximium Naddaver alta virum.

*ATQVE hæc in præsentiâ, breviter, de Vitâ* S. Matthæi Apostoli & Evangelistæ *dicta sunto. Nunc ad secundi Evangelistæ vitam brevissimè describendam accedemus.*

# VITA S. MARCI EVANGELISTÆ.

NOMEN, *secundi horum Qvatuor Evangelistarum est* Marcus, cujus erat nomen primùm Johannes, sicut meminit Lucas in Actis. *Hæc autem habentur in Prolegomenis Evangelii ejus, Arabicis, his verbis:* مَرْقُسْ رَسُوْلُكْ ۞ الذي كان اَسْمُهُ اَوَّلاً يُوحنَّا كما ذكر لوقا في الابركسيس ۞

S. Marcus διώνυμος.

*E qvibus patet, hunc Evangelistam quoq; fuisse* διώνυμον. *Dictus enim fuit* Johannes, & cognominatus fuit Marcus, *qvod clarissimis verbis legitur,* Act. 12. vers. 12. & 25. Item cap. 15. vers. 37. *Unde pleriq; eum* Johannem Marcum *vocarunt, neq; injuriâ. Mirum verò alicui videri posset, cur in modò adductis verbis Arabicis* S. Marcus *dicatur* رَسُوْل *sive* Apostolus, *cùm tamen suprà,* è capite qvinto præmissorum in genere, in loco primo generali, *dictum fuerit,* Christum de cœtu Discipulorum, elegisse duodecim, حَوَاري *sive* albos, & vocasse eos رُسُلاً *sive* Apostolos, *ubi expressè additur,* S. Marcum & Lucam non fuisse, de horum duodecim numero, sed de horum discipulorum, numero.

Johannes Marcus.

Nomen Apostoli dupliciter usurpatur.

VERUM, *facilis est hujus dubii solutio.* Dupliciter *enim nomen* Apostoli *sive* رَسُوْل *usurpatur.* Primùm, *in genere, & ita omnes discipuli* Salvatoris *nostri,* & Apostolorum, *possunt hoc nomine vocari;* Deinde, *magis propriè, & specificè, de duodecim illis* Apostolis حَوَاري *sive* albis, *qvos* Christus, *ex cœtu discipulorum suorum elegit.*

S. Marcus fuit unus è discipulis septuaginta.

FUISSE *autem hunc* Marcum, Unum ex septuaginta discipulis, qvos designasse & emisisse DOMINUS *dicitur.* Luc. 10. vers. 1. *præter plures scriptores alios, &* Epiphanium lib. 2. Tom. 1. contra hæreses, *hæc etiam Evangelii* S. Marci Prolegomena, *affirmant his verbis:* وَهُوَ مِنْ السَّبعين تلميذاً وكان بكرًا Ubi etiam dicitur: *Et erat* بكرًا *Id est:* primarius, *vel* in numero primùm designatorum, ex his septuaginta. *Ita nobis nunc videtur interpretari posse, donec tempore magis certi reddamur. Radix enim hujus vocis,* بَكَرَ *significat,*

بكرًا qvid significet.

manè

manè sive diluculo surrexit, aut venit, &c: *A quâ* & باكورا Primitias, *sive* Primogenitum *significat*, *pro qvo etiam* Luc. 2. vers. 7. البكر *legitur.*

Johannes unde dicatur Arabib⁹. Marcus unde dicatur Arabibus.

UNDE *verò Arabibus* يوحنا *sive* Johannes *dicatur, diximus dum notas scriberemus* in cap. 3. vers. 1. S. Matthæi. مرقس Marcus *autem, potest deduci à radice* مرق *qvæ* succum exprimere, *sive* colare *significat*, Unde ممرق Succosum *sonat*. *Poterit itaq;* Marcus, *vel* colatum, *sive* purificatum, *vel etiam* succosum *denotare*.

VOCATUM *verò qvoq; esse* S. Marcum, Evangelistam & Patriarcham, *clarè constat, ex Inscriptione Evangelii ejus*, & *loco qvarto mox seqvente. Atq; hæc, de nomine, hujus secundi Evangelistæ sufficiant.*

2.

PATRIA S. Marci, *qvamvis à nemine, qvod sciam, annotata fuerit, nescio tamen an malè qvis suspicetur, eam esse* قبرص. *Hæc enim in his Prolegomenis*, S. Marci, & Barnabæ *consobrini ejus, dicitur, civitas, his verbis:* ومدينتهم قبرص *Id est:* Et civitas eorum Qabursha.

Qabursha civitas.

*Qvæ* & *qvalis autem hæc fuerit Civitas, aliis decidendum relinqvo.*

S. Marcus, Hierosolymitanus, ex circumcisione fuit.

*NON etiam malè qvidam suspicantur, eum* Hierosolymitanum, *patriâ fuisse, qvòd* Act. 12. vers. 12. *mater ejus, ibi domum habuerit, qvam Christianorum conventibus, patuisse ex eodem loco constat.* Judæum *quidem, sive* ex Circumcisione fuisse, D. Paulus ad Coloss. cap. 4. vers. 11 *apertè affirmat*.

3.

PARENTES *hujus secundi* Evangelistæ, *qui fuerint, de patre sanè, nihil invenimus certi, nec in hisce etiam scriptis. Matrem verò ejus fuisse* Mariam, *qvæ domum* Hierosolymis *habuerit, non solùm in allegato jam loco* Actor: *his verbis asseritur:* venit ad domum Mariæ, matris Johannis, qvi cognominatus est Marcus, ubi erant multi congregati & orantes: *Sed etiam, ab aliis scriptoribus plurimis, clareq; in hisce ejus Prolegomenis hoc modo:* واسم امه مريم *Id est:* Et nomen ejus Merium, *vel ut vulgò dicitur*, Maria.

Mater S. Marci.

Barnabas cõsobrinus S. Marci.

Barnabam *autem ejus fuisse Consobrinum, præter scriptores alios multos*, D. Paulus etiam in Epistolâ ad Coloss. cap. 4. vers. 10. *expreßè dicit*, & *hic textus Prolegomeni hujus, his verbis indicat*, وهي اخت برنابا *Id est:* Et fuit Consobrinus Barnabæ.

GENUS

GENUS VITAE, S. Marci, *antequam Discipulus* Domini nostri Jesu Christi, *factus est, (quod ego sciam,) nemo adhuc descripsit, neq; in hisce scriptis. Factum autem fuisse discipulum* Salvatoris *nostri, & designatum ac emissum ab eo fuisse in numero septuaginta discipulorum, loco primo præcedente dictum est.*

*POST ascensionem verò Domini nostri, eum comitem fuisse peregrinationum* D. Pauli & Barnabæ, ex Act. cap. 15. & Coloss. 4. atq; ad Philemonem, nec non 2. Timoth. 4. *facilè apparet.*

S. Marcus socius peregrinationū D. Pauli & Barnabæ.

Factum *porrò* à D. Petro Principe duodecim Apostolorum Patriarcham Alexandriæ AEgypti, & horum viciniæ, atq; Qvinq; Civitatum, *(qvæ regio communiter* πενλάπολις *dicitur,)* &c: ac venisse Alexandriam, anno septimo, regni Claudii Imperatoris, & prædicasse in eâ Evangelium, abiisseq; ad πενλάπολιν. Tandem reversum Alexandriam, eam resignasse alteri circa festum Paschatis, & evertisse cultum simulachrorum, *præter alios scriptores, ut* Nicephorum, lib. 2. cap. 43. *etiam in Prolegomenis hisce scribitur, qvem locum integrum hic transscribere placet, etiamsi in qvibusdam literis, ob codicis & librarii difficultates, labi facilimum fuerit:*

S. Marcus à qvo & ubi fuerit fact. Patriarcha. Qvando Alexandriam venerit.

وَبَطرُس لَمَّا جَعَل مَرْقُسْ بطريركًا عَلي الاسكندرية ومَصْر
واعمالها ۞ وَخمْس المُدُن ۞ وَهُنّ برقه ۞ وزلا وويلة ۞
وَاوْجَلَةُ ۞ وَسَنْتريه ۞ وافريقية ۞ والحَبشَةّ والنبـــوة ۞
وكان وَصُول مَرقُس الي الاسكندريه في السَّنةِ السَّابعه من
مُلك اقلوديس ۞ فبشَّر بهذا الانجيل ۞ وكان يمضي الي
خمْس المدُن ۞ ثم يعُودُ الي الاسكندريهِ ۞ فعنْد عَوده
اليها اخر دفعهِ وكان عيدُ الفِصْح ۞ وَثَب عَليهِ عَبَدةُ
الأصْنَـــــــــــام ۞

CUM *autem deniq; historiam vitæ & doctrinæ Salvatoris nostri, in librum conscripsisset, cujus Titulus communiter est;* Sanctum Jesu Christi Evangelium, secundum Marcum, *factus est etiam Unus è Qvatuor Evangelistis.*

*QVI verò res gestas, sive* Acta S. Marci *cognoscere expetit, alios scriptores*

Res gestæ S. Marci ubi cognoscendæ.

*scriptores, qvi ea ex professo tractarunt adeat, nostri enim instituti limites illa egrediuntur.*

5. VOCATIO *hujus secundi Evangelistæ, ad Evangelium, describitur,* Luc. 10. vers. 1. *Ubi* DMINUS *noster dicitur* designasse, & alios septuaginta: & misisse illos binos ante faciem suam, in omnem civitatem & locum, qvò erat ipse venturus. *Hunc autem Evangelistam, fuisse Unum ex istis septuaginta, in loco præcedente, jam monstravimus.*

6. MAGISTER S. Marci *ante ascensionem* Salvatoris nostri *ad cœlos, fuit ipse Dominus noster* Jesus Christus, *ceu ex allegato capite decimo* Lucæ *abundè constat. Pòst hanc verò, ejus Magister, in his scriptis Arabicis dicitur* D. Petrus cap. 5. Prolegomeni generalis, *per hæc verba:*

D. Petrus magister S. Marci.

ومنهم اثنان من تلميذة الرسل ۞ احدهما مرقس وهو كان تلميذا لبطرس ۞ *Qvæ verba etiam suprà, in loco primo generali, adducta sunt. Idem verò, repetitur in Prolegomeno,* Evangelii S. Marci, *his verbis:* وبشر بها معلمه بطرس رييس الحواريين اولا بمدينة رومية ۞ *Ubi non solùm dicitur* D. Petrus Magister, sive Doctor S. Marci, sed & Princeps seu caput duodecim Apostolorum, *qvos Arabes vocant* الحواريين *sive* albos, *&* primùm *affirmatur* prædicasse, Evangelium S. Marci Romæ. *Qvâ de re, aliis, plura dicenda relinqvimus.*

D. Petrus caput, sive Princeps Apostolorum. Primùm prædicavit Evãgelium S. Marci.

7. DISCIPULI, *hujus secundi Evangelistæ, infinitus Christianorum numerus fuit, inprimis* Romæ, *Ubi ut paulò pòst dicetur, Evangelium suum conscripsit, & in illis regionibus, qvorum suprà loco qvarto,* Patriarcha *fuisse dicitur.*

8. QVANDO *verò* S. Marcus, *Evangelium suum scripserit, bellè in hisce Evangelii ejus Prolegomenis & subjunctis, explicatur,* anno *nimirùm* qvarto Imperii Claudii Cæsaris, Post ascensionem *autem* Domini nostri Jesu Christi ad Cœlos, anno duodecimo. *Verba Prolegomeni hæc sunt:* كتب الجيله &c: في السنة الرابعة من ملك اقلوديس قيصر ۞ بعد الصعود باثنتي عشرة سنة ۞ *Subjunctorum verò hæc:* كان كتبها &c. بعد صعود سيدنا المسيح الى السما باثنتي عشر سنه في السنه الرابعه لاقلوديس

S. Marcum Anno 4. Claudii. An. 12. pòst Ascensioné Christi Evãgelium suum scripsisse.

لاقلوديش قيصر ملك رومية ——————————— اه

*NESCIO tamen unde* Theophylactus *ſcripſerit, anno decimo pòſt Aſcenſionem Chriſti,* S. Marcum *Evangelium ſuum ſcripſiſſe. Hac verò de re, plura, in computatione annorum, qvibus hæc qvatuor Evangelia ſcripta fuerint, ad calcem hujus libelli dicentur.*

Theophylactus.

9\.

UBI *autem, hic ſecundus Evangeliſtarum, ſuum Evangelium ſcripſerit, indicatur apertißimis verbis hiſce, in Prolegomeno,* Romæ id factum fuiſſe:

كتب الجيله بالرومي الافرنجي بمدينة رومية اه

*ET in ſubjunctis, ſimilibus hiſce:*

وكان كتبها بالرومـــــي الافرنجي بمدينه رومـــــــيه اه

*ATQVE hac de re, doctißimorum Theologorum, non contemnendus eſt conſenſus. Qvamvis* Theophylactus, *cum in* AEgypto *ſcripſiſſe, affirmet Evangelium, magis autem placet illorum opinio, qvi dicunt, eum perexiſſe, in* AEgyptum, *delato ſecum eò, Evangelio ſuo, qvod conſcripſerat, tertio nimirùm anno pòſt. Nam qvarto anno* Claudii Cæſaris, Romæ *ſcripſit Evangelium ſuum, prædicavitq; illud* Magiſter ejus, Petrus *primùm* Romæ. *Triennio pòſt, nimirùm anno ſeptimo* Claudii, *factus eſt* Divus Marcus à D. Petro Patriarcha Aegypti, &c: *eoq; miſſus ſecum detulit, Evangelium ſuum, qvod tribus annis antè, conſcripſerat.*

S. Marcus non in Aegypto suũ scripsit Evãgelium, sed jam scriptũ eò secum detulit.

10\.

IN QVA *porrò* LINGVA S. Marcus *ſuum Evangelium ſcripſerit, expreſsè ſanè, non affirmatum reperio, in hiſce ſcriptis, ſed communis illa opinio, vix erronea eſſe videtur, dum creditur,* lingvâ Latinâ *id factum fuiſſe. Nam ſi* Romæ *ſcripſit, Romanis proculdubio primariò ſcripſit, ergò etiam ſermone Romano, atq; ideò* D. Petrus *illud primùm* Romæ *prædicavit. Sed re[p]etant hìc lectores, qvæ ſuprà in loco decimo generali, hac de re ſcripſimus.*

S. Marcus non malè latinâ lingvâ suum Evãgelium scripsisse creditur.

11\.

AETAS Divi Marci, *præcisè vix à qvoqvam, deſcribitur, ſed jam ſenio appropinqvantem, ex miſerrimâ hac mortalitate, ad veram illam immortalitatem eum tranſiiſſe, probabile eſt, inprimis ex illorum opinione, qvi eum in hoc mundo Salvatori noſtro* Jeſu Chriſto, *ſerviiſſe affirmant, annos plùs minùs. 30.*

*PROBABILE autem eſſe, diſcipulos Salvatoris noſtri, non multùm ante triceſimum ætatis ſuæ annum, ad Evangelii miniſterium vocatos fuiſſe, loco* Undecimo *generali, ſuprà jam diximus.*

FUISSET

S. Marcus fuit annorũ sexaginta circiter.

FUISSET *itaq; ætas* S. Marci, *annorum sexaginta circiter. Sed de his aliorum esto judicium. Septem verò annis, eum officium Patriarchæ gesſiſſe, præterqvàm, qvòd facilè ex computatione temporis colligi possit, expreſſè tamen, etiam in Prolegomeno legitur. Dictum enim est, in loco qvarto præcedente, eum à* D. Petro Patriarcham *factum fuiſſe & Alexandriam veniſſe anno ſeptimo regni Claudii Imperatoris, & infrà loco, 14. dicetur martyrium ſubiiſſe, anno decimo qvarto, de regno* Claudii Cæſaris. *Manifeſtum itaq; eſt eum* ſeptem annos hanc dignitatem geſsiſſe, *id qvod expreſsiſsimis his verbis, in ejus Evangelii Prolegomeno legitur:*

S. Marcus ſeptem annis fuit Patriarcha.

فكانت مدّة مقامه سبع سنين ⊛

12.

Modus martyrii S. Marci.

QVOMODO *autem, hic ſecundus Evangeliſta mortuus fuerit, unà cum aliis ſcriptoribus, hæc Prolegomena affirmant*, cum injecto fune, ex villis, cervici ejus, per Urbem, (Alexandriam *ſcilicet,*) ſupra lapides, donec ejus caro divelleretur, tractum fuiſſe, & alterâ die poſt, mortuum eſſe, *his verbis:*

فجعلوا في عنقه حبلا من ليف ⊛ وسحبوه على حجارتها

حتى تقطع لحمه ⊛ فتوفى آخر يوم من برمـــوده ⊛

UBI *Ultimum vocabulum, probè conſiderandum eſt. Aliter enim legere non potuimus, qvòd codex, hìc minùs integer eſſet. Qvid ergo propriè ſit,* من برموده *doctioribus hujus lingvæ relinqvo, videtur tamen, eſſe radix* رمد, *qvæ* cinères facere, *vel* incinerare, *ſignificat,* رماد *enim,* cinerem *ſonare, mille in locis teſtatur.* Avicenna l. 2. Canonis, *maximè in* capite رماد *Id eſt:* Cineris, *qvod caput, in Exemplari Arabico* Romæ *edito, duplò majus habetur, qvàm in* manuſcripto Cæſario, *vel omnibus etiam verſionibus, qvæ cum hoc, in totum ferè, iſto in loco conveniunt.*

Avicennæ caput de cinere. l. 2. Canonis.

13.

*POSSET igitur qvis, ex hac radice, conjicere,* S. Marcum, *alterâ die, cum miſerrimè fune ex villis, cervici injecto, per ſtrata* Alexandriæ *tractus fuiſſet, ad divulſionẽ carnium uſq;, rogo impoſitum, ſive per flammas in cinerem redactum obiiſſe. Sed tempore forſan, certiùs hac de re, edocebimur.*

14.

UBI *porrò* S. Marcus *mortuus fuerit, ex modò dictis jam conſtat,* Alexandriæ *nimirùm, nobiliſsimo qvondam totius Orbis emporio.*

QVANDO *verò,* D. Marcus *martyrium ſubierit, clarè in his Prolego-*

*Prolegomenis dicitur*, anno decimo qvarto, de regno Claudii Cæsaris, hoc factum fuisse, cùm jam reversus esset ex πενλάπολι, & resignasset alteri dignitatem Patriarchæ, festo Paschatis, secundâ die cùm per Urbem Alexandriam, fune tractus excruciatus esset, *ceu hæc verba testantur, qvæ, licet maximâ ex parte jam allegata fuerint, tamen hic integrè conjunctim nunc repetere placuit.*

S. Marcus martyrio coronatus est, An. 14. Claudii.

ثم بعود الى الاسكندرية ۞ فعند عوده اليها اخر دفعة
وكان عيد الفصح ۞ وثب عليه عبدة الاصنام ۞ فجعلوا
في عنقه حبلاً من ليف وسحبوه على حجارتها حتى تقطع
لحمه ۞ فتوفي اخر يوم من برموده ۞ من السنة الرابعة
عشر من ملك اقلوديس قيصر ۞

*MIROR itaq;, unde* Nicephorus l:2.cap. *43. scripserit*, S. Marcum, vitæ mandatiq; muneris curriculum confecisse, octavo anno Neronis.

Nicephor.

UBI *tandem hic* secundus Evangelistarum, *sepultus fuerit, nullibi, qvod sciam, expressum invenimus, fortè qvòd ex præcedentibus facilè conjici possit, ejus cineres* Alexandriæ *mansisse, maximè si illa, qvæ loco duodecimo præcedente scripsimus, vera sunt. Atq; ita hæc pauca, de vita* S. Marci Evangelistæ, *dicta sufficiant. Ad tertii igitur, Evangelistarum* S. *nimirùm* Lucæ, *vitam breviter describendam accedimus.*

S. Marci cineris, ubi manserint.

# VITA S. LVCÆ, EVANGELISTÆ.

I.

NOMEN, tertii horum Qvatuor Evangelistarum, *est* Lucas, *id qvod in Evangelii ejus Prolegomenis in his verbis habetur:*

نبتدي بعون الله ۞ بنقل انجيل البشير لوقا المرتضي ۞

Lucas unde Arabibus deduci possit.

*POTEST autem* لوق *vel* Lucas *Arabibus deduci, à radice* ليق *quæ inter alia* dignum esse, decere, expedire, *&c: significat, Essetq;* *hac ratione* Lucas, *idem quod* dignus, decens, *&c: conveniretq; hæc derivatio optimè, cum ultimo jam allegato vocabulo* المرتضي *quod* electum *vel* gratum *significat, à radice* رضي *quæ pro ratione diversarum formationum significat, nunc* Eligere, gratum habere, *nunc* benè placere, *nunc* gratum & acceptum fieri. *Quæ omnia, non dissentiunt ab illâ nominis deductione.*

*HINCQ; vident studiosi, in his Prolegomenis;* D. Lucæ *hoc epitheton* المرتضي, *attribui, sicut suprà, jam diximus* S. Matthæo *attributum esse* المصطفي. *Si autem quis nomen* Lucæ, *à radice* لقي *deducere vellet, jam longè alia oriretur significatio, vixq; tàm commoda. Verùm in his neqvaqvam nobis immorandum esse putamus.*

S. Lucas fuit è numero discipulorum septuaginta.

Fuit etiam unus è duobus, euntib' die resurrectionis Christi in Emaus.

*HIC autem* Evangelista *non fuit, ex numero duodecim Apostolorum* حواري *ceu suprà in loco primo generali, ex capite qvinto præmissorum in genere, dictum est, sed* factus est discipulus Domini nostri Jesu Christi, ex cœtu septuaginta emissorum, (Luc. 10. vers. 1.) & fuit Unus è duobus illis, qvibus apparuit Dominus noster, die resurrectionis suæ, in viâ Emaus, *vel ut hìc Arabicè legitur* Amvase, *hæc autem clarè præter alios scriptores plures, habentur, in his verbis Prolegomeni:*

وصار تلميذا لسيدنا المسيح ☙ من جملة السبعين المختارين ☙ وهو واحد الاثنان اللذان ظهر لهما سيدنا يوم القيامة في طريق عمواس ☙

*DICTUM porrò hunc* Lucam, *etiam fuisse* Evangelistam, *&* Medicum, *manifestò constat ex inscriptione Evangelii ejus, & loco mox seqvente qvarto, magis clarum fiet.*

2. Antiochia Τελεάπολις Syriæ, totius Orientis apex.

D. Lucas Antiochiæ fuit Medicus.

PATRIA S. Lucæ, *à plerisq; scriptoribus, dicitur fuisse* Τελεάπολις Syriæ Antiochia, *qvam suprà in loco secundo generali, diximus à qvibusdam vocatam* totius Orientis apicem. *Hanc verò opinionem, non facilè rejiciendam puto, etiamsi inde saltem originem habere videatur, qvòd* D. Lucas Antiochiæ Medicinam fecerit, *id qvod in Prolegomenis*

*legomenis istis, his verbis asseritur:* كان لوقا طبيبا بانطاكيه

*Id est:* Fuit Lucas Medicus in Antiochiâ. *Verisimile enim est, eum, ut virum, non solùm Græcæ linguæ, sed & artis suæ Medicæ doctissimũ, patriæ potiùs, quàm peregrinæ alicui civitati, inservire voluisse, id quod* divinum *quoq; fecisse* Hippocratem, *qui ab ipso tum temporis potentissimo, imò ut in inscriptionibus Epistolarum ejus legitur,* Rege Regum, Artaxerxe, *summis ac verè regiis promissis, è patriâ suâ, evocari potuerit nunquam, ceu, scitu dignissimæ epistolæ aliquot breves, abundè testantur, quæ in epistolis* Hippocratis *legi possunt, è quibus, inter alia, patet, quàm regi illo charus fuerit,* ἀνὴρ κατ' Εὐρώπην ἀγαθὸς, *sciebat enim, ut fatetur,* ἄνδρας εὑρεῖν δυναμένους τὶ καλὰ συμβουλίην οὐ ῥηΐδιον *esse. Hac dico præsumtione, & aliis similibus, interim statui potest,* D. Lucam Syrum Antiochiæ *natum fuisse, donec tempus, si res hæc se aliter habet, meliora doceat.*

Hippocrates, patriæ magis qvàm exteris medicinam facere voluit. Artaxerxes Rex Regũ, ubi dicatur, Artaxerxi, viri Europæi boni, qvàm chari fuerint.

PARENTES *hujus* tertii Evangelistæ, *qvi fuerint, non memini me ullibi legisse, ideoq; de iis etiam, silere potiùs malo, quàm meras conjecturas, vel figmenta, prodere.*

3. D. Lucæ parentes adhuc ignorantur.

GENUS VITAE D. Lucæ, *antequam vocaretur ad ministerium Evangelii, ex modò dictis jam constat, eum nimirùm* Antiochiæ *fuisse* Medicum, *qvam ob rem à* Divo Paulo *etiam hoc nomine vocatur,* in Epistola ad Coloss. cap. 4. vers. 14. *cùm dicit:* Salutat vos Lucas, Medicus charissimus.

4.

FACTUM *autem fuisse unum è septuaginta Salvatoris nostri discipulis, è verbis loco primo præcedente allegatis, patet, è qvibus insuper constat, eum fuisse alterum discipulorum, qvibus die resurrectionis suæ,* Christus *apparuerit in viâ* Emaunta *versùs.*

*TANDEM, cùm historiam vitæ & doctrinæ* Domini nostri Jesu Christi, *usq; ad ejus ascensionem ad cœlos scripsisset, in libro cui titulus est,* Sanctum Jesu Christi Evangelium, *& in alio cui titulus est,* Acta Apostolorum, *in qvo persequitur ea, qvæ ascensionem* Christi *secuta sunt, & duorum præcipuè Apostolorum.* S. Petri & Pauli *conciones, & res gestas, pertexit, usq; ad annum* 4. Neronis, *qvi est à nato Christo* 60. *tunc factus qvoq; est,* Evangelista, *ex qvatuor his, peculiariter sic dictis.*

D. Lucas duos libros historiæ Evangelicæ scripsit.

*QVI verò* Acta S. Lucæ, *sive ejus res gestas, cognoscere velit, alios necesse est, adeat authores, hæc enim conscribere, nostri non est propositi.*

Acta D. Lucæ, unde cognoscenda.

VOCATIO AD EVANGELIUM, *hujus tertii Evangelistæ describitur,* Luc. 10. vers. 1. *cum reliqvorum septuaginta* Salvatoris

5.

toris

toris nostri *discipulorum, è qvorum numero hunc qvoq; fuisse, loco præcedente primo, & alibi unà cum multis aliis scriptoribus, jam diximus.*

6. Magister D. Lucæ primùm D. Petrus, deinde D. Paulus.

MAGISTER D. Lucæ, *ante ascensionem* Christi, *fuit ipse filius* DEI Salvator noster, *id qvod ex modo allegato* capite decimo Lucæ, *& ex verbis Prolegomeni hujus, loco præcedente primo, jam citatis, patet.* Post hanc verò, ante Conversionem D. Pauli, fuit ejus Magister D. Petrus; Et postqvam electus esset Paulus, rogavit, ut esset cum eo, & factus est discipulus ad eum, *ut clarè in hoc Prolegomeno, ex his verbis apparet:*

وصار بعد الصعود تلميذا لبطرس ۞ فلما انتخب بولس ۞

رغب ان يكون معه ۞ فصار تلميذا لـــــــــه ۞

*QVIA porrò in posterum, fuit individuus comes peregrinationum & carceris* D. Pauli, *ceu testantur* Acta Apostolorum à cap. *16.* usq; ad finem, & 2. Timoth. *4.* vers. *11.* ac ad Philemonem, vers. *24.* & 2. Corinth. 8. Ubi vers. *19.* Lucas ab Ecclesiis dicitur ordinatus fuisse comes, peregrinationum D. Pauli, *ideoq;* capite qvinto in Prolegomenis *generalibus, dicitur fuisse discipulus* Pauli, *his verbis:*

والاخر لوقا ۞ وهو كان تلميذا لبولـــــــــس ۞

7. DISCIPULI hujus tertii Evangelistæ, *fuerunt infiniti Christiani in diversis Orbis terrarum partibus, maximè in* Græciâ, *Ubi suum scripsisse & docuisse paulò pòst dicetur Evangelium.*

8. S. Lucam Anno 14. Claudii, Anno 22. pòst ascensione Christi, suum Evágelium scripsisse.

QVANDO *autem* S. Lucas Evangelium suum scripserit, *egregiè in hisce ejus Prolegomenis & subjunctis indicatur*, anno nimirùm Ultimo, sive decimo qvarto, regni Claudii Cæsaris, post ascensionem verò sanctam in secundo & vigesimo, *verba Prolegomeni hæc sunt:*

وكتب الجيلة &c: في السنة الرابعة عشرة من ملـــــــك

اقلوديس قيصر ۞ وهي اخر ملكه وذلك بعد الصعود

المقدس باثنتين وعشرين ســــــــنة ۞

*VERBA verò subjunctorum hæc sunt:* كتبها &c: بعد صعود ربنا

المسيح باثنتي وعشرين ســــــــنة ۞

في السنة الرابعة عشرة لاقلوديس قيصــــــــر ۞

*IN qvibus, duo, meritò consideranda sunt.* Primò, *Qvomodo author horum scriptorum, dicat* D. Lucam, anno decimo qvarto Imperii Cæsaris Claudii, Evangelium suum scripsisse, *cùm omnes historici, Unanimi consensu dicant, hunc Imperatorem saltem tredecim annis imperasse.* Deinde, *qvid sibi velint, adjecta illa verba* وَهِيَ اخر مَلَكْتُه *Id est:* Et fuit aliud regnum ejus. *Ita enim nunc latinè exprimere volumus.*

Dubium primum.

*AD* primùm *qvod attinet, (qvamvis doctioribus, in re tàm difficili, judicium relictum volumus) breviter hìc opinionem nostram studiosis exponemus.*

*DOCTE, non pauci Chronologicorum monuerunt, in computatione numeri annorum Imperii cujusvis* Cæsaris Romani, *observandum esse, qvosdam à tempore electionis, sive ordinationis de successione, vivo adhuc, tum præsente Imperatore, jam cœpisse numerare annos Imperii, ideoq; eos plures referre annos, alios verò, defuncto demùm antecessore primùm, annos Imperii numerare cœpisse, ideoq; pauciores recensere annos, hoc tamen in loco, hæc admonitio, nihil affert Utilitatis.* Claudium *enim biduò pòst miserrimam* Caj Cæsaris *cædem mirabili casu Imperium suscepisse, apertissimis verbis testatur* Svetonius in vitâ ejus, capite decimo. *Itaq; decimus qvartus annus regni* Claudii, *non potest dici ille annus, qvi pòst electionem præcessit Imperium ejus. Uno eodemq; enim tempore*, ab armatis, qvos pro concione jurare in nomen suum passus est, *Imperator designatus fuit, Imperiumq; mox ipso actu aggressus est.*

Regula in computatione annorũ, cujusvis Imperatoris Romani.

*SED, (id qvod nobis multò verisimilius esse videtur,) ille annus non malè dicetur decimus qvartus annus regni* Claudii, *qvo* intimi familiares ejus mortem celarunt, donec circa successorem omnia ordinarentur. *Nam non in alterum usq; diem saltem, ut* Cal Cæsaris *mors, etiam* Claudii celata fuit, *sed aliqvandiu dicente* Svetonio in vitâ ejus capite 45. Ita ut qvasi pro ægro adhuc, vota suscepta sint, & inducti per simulationem Comœdi, qvi velut desiderantem oblectarent. Adeoq; licet excesserit III. Id. Octobr. Asinio Marcello, Acilio Aviola COSS. LXIIII. ætatis, Imperii XIII. anno *(scilicet completo,) tamen seqvens annus adhuc jure dicitur fuisse regni* Claudii, *etiamsi ejus nomine, eo jam defuncto, Imperiũ, ab ipsis intimis familiaribus, administratum fuerit, donec* Nero, ut de Claudio palàm factum est, pro Palatii gradibus Imperator consalutatus fuit.

Qvis sit annus decimus qvartus Regni Claudii.

Dubium secundum.

*AD* alterum *itaq; hinc jam patet solutio, qvid nimirùm sit* آخر ملكه *Id est:* aliud regnum ejus, *scilicet* Claudii, *cùm nimirùm regnare crederetur, naturæ qvi jam persolverat debita.*

*ILLO itaq; anno, ut eò exactiùs hoc tempus indicaretur,* S. Lucas, *Evangelicam suam scripsit historiam. Atq; hæc pauca nunc sufficiant, aliis fusiùs tractanda relinqvimus.*

9\. UBI *verò, hic* tertius Evangelistarum *Evangelium suum scripserit, habetur in Prolegomeno ejus his verbis:*

وكتب انجيله باليونانى بالاسكندرية

*Id est:* Et scripsit Evangelium suum in Græciâ, in Alexandriâ. *At in subjunctis his verbis:*

كتبها باليونانى بمدينة مقدونية

*Id est:* Scripsit illud in Græciâ, in civitate Macedoniâ. *Hìc autem aliis relinqvimus explicandum. Qvomodo hoc loco* اليونانى *sive* Græcia *usurpetur, nec non, an* الاسكندريه باليونانى

Alexandria Græciæ, & Macedonia civitas, an eadem civitas cum Thessalonicâ vulgò dicta.

*Id est:* Alexandriâ in Græciâ, & مدينة مقدونيه باليونانى *Id est:* Civitas Macedoniâ *(ita enim reddere nunc placet, illud* مقدونيه*)* in Græciâ, *eadem sit Civitas, qvod posteriùs omninò ita se habere videtur. Facilè enim potuit Metropolis, (vulgò Thessalonicæ, dicta,) Macedoniæ, nomen regionis, à Rege Macedone, obtinere, potuit eadem etiam, ab eodem Rege Alexandro, Alexandria dici. Et cur hæc regio, non dicetur,* باليونانى *Id est: In Ioniâ, cùm ab occasu, à mari Jonio alluatur? Sed de his Geographi fusiùs tractent, qvibus cum historicis, non pauca in his scriptis enodanda relinqvimus.*

Macedonia regio, cur jure dici possit Ionia.

*NOBIS enim jam sufficit, ea ex fodinis hisce Arabicis eruere, qvæ ad Vitas* horum Qvatuor Evangelistarum, *describendas pertinere videntur. Declarationem verò eorum, & fusiorem explicationem, vel aliis in præsentiâ relictam, vel in aliud tempus, nobis reservatam volumus.*

10\. IN QVA LINGVA *porrò* D. Lucas *suum Evangelium scripserit, etiamsi expressè declaratum nondum invenerim, probabile tamen est* in Græcâ *id factum fuisse, id qvod statuerunt hactenus doctissimi pleriq; Theologorum. Nam si* باليونانى *Id est: In Ioniâ, scripsit, linguâ etiam Ionicâ, qvæ inter qvinq; lingvas Græciæ est notissima, scripsisse*

*scripsisse verisimile est. Ideoq; non solùm* prædicavit in eo Paulus primùm, *sed etiam* deinde evangelizavit in eo Lucas, pòst eum, in Macedoniâ. *Id qvod clarißimis verbis hisce, legitur in Prolegomeno hoc:*

D. Paulus primùm prædicavit in Evangelio Lucæ, deinde ipse Lucas.

فكرز به بولس اولا ثم بشر به لوقا بعده بماقدونية

*LINGVÆ verò Græcæ* S. Lucam *fuisse doctißimum, præter plurimorum consensum, ipsius etiam scripta,* Evangelium *scilicet* & Acta Apostolorum *testantur.*

*NON autem alium aliqvem* Lucam, *ab hoc* Lucâ Medico Antiochiæ, *atq; deinde* Evangelistâ, Acta illa Apostolorum *scripsisse, (ut minùs rectè qvidam sensisse videntur,) testantur præter alia multa etiam* Prolegomena hæc Arabica Evangelii S. Marci *his verbis, qvæ suprà qvoq; in vitâ D. Marci loco primo, adduximus;*

D. Lucas Evangelista scripsit Acta Apostolorum, græcè.

كما ذكر لوقا في الابركسيس

1\. *QVOD vocabulum posterius, non parùm qvoq; probat,* hunc Lucam *Evangelistam,* Acta *etiam* Apostolorum *Græco conscripsisse sermone. Retinuerunt enim ipsi* Arabes, *nomen illud Græcum* Πράξεις *qvod suo modo præposito articulo* ال Al, *literis suis Arabicis scribunt* الابركسيس.

2\. *ACCEDIT, qvod ad* Θεόφιλον, *(qvi procul omni dubio, ut nomen habuit Græcum, ita etiam natione fuit Græcus, aut si cum aliis dicamus, hoc nomen non esse proprium, sed appellativum, attamen sic qvoq; ad Græcos scripsisset,)* & Evangelium & Acta Apostolorum *scripserit,* D. Lucas, *in qvâ itaq; lingvâ aliâ, hoc commodiùs factum fuisset, qvàm* Græcâ. *Propter has, aliasq; plures rationes forsan, author horum scriptorum, noluit in re tàm manifestâ, scrupulosus esse.*

11\. AETAS S. Lucæ, *in his scriptis non præcisè exprimitur. Certum tamen est, eum confecto benè longo in his terris vitæ curriculo, hanc mortalitatem reliqvisse. Nam in Actis, perseqvitur* S. Petri & Pauli Apostolorum *conciones & res gestas, ad annum* 4. Neronis *usq; qvi est à nato Christo. 60. Non multùm verò ante trigesimum ætatis annum, factos fuisse discipulos Christi, aliqvoties jam monuimus. Eum itaq; supra annum sexagesimum vixisse, credibile est. Non pauci Theologorum cum* D. Jeronymo, *asserunt eum octoginta qvatuor annos in his terris transegisse. A Qvibus nos neqvaqvam dissentimus.*

Acta Apostolorũ, in qvem annũ usq; sese extendant.

Divus Lucas supra sexagesimũ annũ vixit, secundum Jerony. 84.

12\. QVOMODO *autem hic* tertius Evangelistarum *mortuus fuerit, clarè dicitur in his Prolegomenis, cum martyrio affectum fuisse, per*

D. Lucas martyr.

hæc

*hæc verba,* وتوفي شهيدا. *Circumstantiæ verò martyrii non exprimuntur. Relinqvimus itaq;* Eusebio *defendendum, qvi scribit eum in* Græciâ, *de oleâ suspensum esse. Nam hæc Prolegomena dicunt,* D. Lucam *mortuum esse martyrio* برومية *qvod nos, in* Româ *vertimus.*

*13. D. Lucas Romæ mortuus.*

UBI *igitur* D. Lucas *mortuus sit, ex modò dictis jam constat,* Romæ *nimirùm id factum fuisse, qvod certè valdè probabile est. Si enim* D. Paulo Romæ in vinculis adfuit, eidemq; fideliter ministravit 2. Tim. 4. vers. 11. *qvid prohibet statuere, anno.* 4. *Neronis, cum* D. Paulus à DOMINO liberatus fuit de ore Leonis, (*Imperatoris scilicet Neronis,*) S. Lucam, *tanqvam vicarium ministerii verbi,* Romæ *a* Paulo *relictum fuisse, & paulò pòst, ibi martyrio impeditum,* Acta Apostolorum *scribendo diutiùs continuare non potuisse. Id qvod proculdubio fecisset, si diutiùs supervixisset.*

*D. Lucas, cur Acta Apostolorũ continuare non potuerit.*

*14.*

QVANDO *verò* S. Lucas *mortuus fuerit, exprimunt hæc Prolegomena, his verbis:*

في الثاني والعشرين من ———— بابه

*Id est:* In secundo & vigesimo de بابه *Qvæ ultima* ـ *dictio, benè consideranda est, Veluti & suprà in vitâ* S. Matthæi, *loco,* 14. *monuimus* בב *enim* Chaldæis, *aliisq; populis multis* portam, *communiter significat. Et ipsis* Arabibus باب *idem sonat, vidimus namq; freqventissimè in Evangelistis,* ostium, januam, portam, *significare, atq; hac ratione in multis Arabum libellis, pro distinctione capitum hæc vox invenitur, sed hæc nihil huc facere videntur. Invenimus etiam hanc vocem* ـ *interdum,* genus, modum, *Imò &* Consilium *significare. Sed ne ex his qvoq; satis apparet, qvid sit* In secundo & vigesimo de باب *an nimirùm sit* consilium, genus, vel modus, *&c: Neq; rectè annus à vocatione* S. Lucæ, *ad ministerium Evangelii intelligi posse videtur. Diutiùs enim eum vixisse, loco præcedente.* 11. *jam monstravimus. Ideoq; dicamus in re tam dubiâ, cum Jureconsultis,* NONDUM LIQVET, *donec dies diem docuerit.*

*باب qvid significet.*

*SI qvis vellet annum vigesimum secundum intelligere, ex qvo* S. Lucas D. Pauli *fuit individuus peregrinationum* ـ *& carceris comes, id qvod patet ex* Actis à cap. 16. usq; ad finem, & 2. Timoth. 4. 2. Corinth. 8. & ad Philemonem, *haberet certè qvod probabiliter prætenderet, etiam ex jam à nobis dictis.*

AT

*AT, posset forsan annus vigesimus secundus intelligi, à conscripto* D. Lucæ *Evangelio. Verùm hæc fusiùs proseqvi, nunc plurima vetant.*

15.

UBI *tandem sepultus fuerit hic* tertius Evangelistarum, *distinctè non exprimitur in his scriptis, fortè qvòd qvilibet per se sciat, illis primis Ecclesiæ temporibus, martyres Christianorum non adeò magno in pretio habitos fuisse, ut eorum cadavera primùm in aliam regionem, vel Urbem, sepulturæ gratiâ deferrentur, Imò vix sepulchro, digni habiti sunt, iis in locis, ubi crudelißimè, viri isti innocentes & pii trucidati fuerunt.*

*IDEOQ;* Jeronymo *defendendum relinqvimus, qvi scribit hunc* Evangelistam Constantinopoli sepultum esse, in qvam Urbem ossa ejus, anno 20. Constantini, Unà cum corpore S. Andreæ, translata sint ex Achajâ.

Ossa D. Lucæ, an Constātinopoli sepulta fuerint, an hodiè Patavii sint.

SICUTI *& illis, qvi ossa* D. Lucæ hodiè Patavii in templo Cathedrali S. Justinæ, dicunt recondita esse.

*ATQUE hæc breviter de vitâ* D. Lucæ Medici, tertii Evangelistæ *dicta sufficiant. Nunc ad* Ultimi *sive Qvarti horum Evangelistarum S. nimirùm* Johannis, *Vitam paucis describendam accedimus.*

# VITA S. IOHANNIS,
## APOSTOLI ET EVANGELISTAE.

I.

NOMEN, U*ltimi* horum Qvatuor Evangelistarum, *est* Iohannes filius Zebedæi qvi unus è duodecim fuit, *id qvod clarißimis verbis, in Arabicis hisce Evangelii ejus Prolegomenis legitur:*

كان يوحنا بن زبدى احد الاثنى عشر

FUIT *itaq; Unus de* حواري *ceu suprà, loco primo generali, jam monstravimus, è capite qvintò horum* προλεγομένων *in genere.*

S. Johannes consummator Evangelii.

VOCATUR *autem in titulo hujus Prolegomeni Arabici peculiari nomine, nimirùm* Consummator Evangelii, *his verbis:*

مقدمة انجيل يوحنا مكمل البشرى

*Idemq;*

*IDEMQ;* *repetitur* in manuſcripto exemplari Cæſario, *in titulo textus Evangelii ejus his verbis:*

فاتحة انجيل يوحنا البشير مكمل البشـــــري

*AT in titulis exemplarium* Romæ *impreſſorum dicitur:*

القديس الجليل التلميذ الرسول حبيب ربنا يسوع المسيح

*Id eſt:* Sanctus, glorioſus, (*Interpres Romanus reddidit magnus,*) diſcipulus, Apoſtolus, Dilectus Domino noſtro Jeſu Chriſto. Marc.3. verſ.17. *cum fratre ſuo* Jacobo, à Salvatore *noſtro vocatur*, βοανεργὲς, *id eſt, filius tonitrui. Tandem ut ab altero* Johanne Baptiſtâ, *diſtingveretur, plerumq; vocatur* Evangeliſta, *ceu ſuprà in loco primo generali jam diximus.*

UNDE *verò Arabibus* يوحنا *ſive* Johannes *dicatur, alibi monſtravimus, ut ſuprà in vitâ* S. Marci *loco primo monuimus.*

2.

Cõterranei S. Johannis Evãgeliſtæ.

PATRIA *hujus* Qvarti Evangeliſtarum S. Johannis *fuit* Urbs Beitshaida, *vel domus venationis*, *ceu hæc verba clariſſima hujus Prolegomeni teſtantur:* كان من بيت صيدا *Fuit itaq; conterraneus Apoſtolorum*, Philippi, Andreæ, & Petri, Joh.1.verſ.44. *Unde autem dicatur* Beitshaida, *jam examinavimus* in notis noſtris in caput 11. S.Matthæi verſ 21.

3.

S. Johannis Evãgeliſtæ mater fuit Τριώνυμ☉.

PARENTES S.Johannis Evangeliſtæ, fuerunt ex tribu Zabulon, Pater nomine Zebedæus, mater primùm vocata fuit Taviphilja. Deinde verò Maria, *vel* Marjum, *hæc omnia expreſſiſſimis verbis hiſce legũtur in hoc Prolegomeno. &c:* كان يوحنا بن زبدي

واسم امه تاوفليا ثم سميت مريم ✠ وهو من سبط زابلون ✠

Maria Salóme.

S. Marcus cap.15. verſ.40. & cap.16. verſ.1. *matrem hujus Evangeliſtæ, majoris diſtinctionis ergò, ſemper vocat* Mariam Salóme, *fortè qvòd mater ejus, ſive avia* S. Johannis & Jacobi, *eo nomine vocata fuerit.* D. Matthæus *verò* cap. 20. verſ. 20. & cap. 27. verſ. 56. *Ubiq; eam vocat* matrem filiorum Zebedæi, *ut* à Mariâ Magdalene, & alterâ Mariâ, *eam diſtingveret.*

Germanus S. Johannis Evãgeliſtæ.

FUIT *itaq; hic* Johannes Evangeliſta, *germanus* D. Jacobi majoris, Apoſtoli.

4.

GENUS VITAE D.Johannis Evangeliſtę, *anteqvã vocaretur à* Chriſto,

Christo, *ad ministerium Evangelii, fuit idem, cum Patre ejus* Zebedæo, *nec non socijs* Simone, Petro, Andrea, &c: *qui omnes fuerunt piscatores, id quod è plurimis locis Evangelistarum patet,* Matth. 4. vers. 21. Marc. 1. vers. 19. Luc. 5. vers. 10. *Vocatus autem ad Evangelium, factus est, non saltem* Unus *è discipulis Christi, sed & ex duodecim Apostolis, ceu loco præcedente primo jam diximus, & ex modo allegatis locis Evangelistarum, atq;* ex Act. cap. 1. vers. 13. *patet.*

FUIT *autem hic* Apostolus Salvatori *nostro præ omnibus aliis hominibus longè charissimus, ideoq; non solùm cunctis miraculis insignioribus, eum secum interesse voluit, sed & in ultimâ cœnâ in sinu ejus recubuit* Joh. 13. vers. 23. *& præ omnibus Apostolis diutissimè in his terris vivere, ac tandem placidissimâ, ac naturali morte eum, ex hac lachrymarum valle, ad se in sempiterna gaudia evocare voluit.* Ut *paulò pòst in loco duodecimo & decimo quarto dicemus.*

*HIC Apostolus, postquàm satis diu, Evangelium à* S. Matthæo *conscriptum diversis in locis prædicasset, veluti suprà in vitâ* S. Matthæi *loco nono monstravimus, & videret, detestandas oriri, in articulo de Personâ* Christi filii Dei, *hæreses, multasq;* Salvatoris nostri *conciones maximè necessarias, miraculaq;, & divinitatis* Salvatoris *nostri testimonia, maximè insignia quàm plurima, sibi, à tribus reliquis Evangelistis describenda relicta esse, multis annis pòst, suam cœpit scriptis mandare Evangelicam historiam, cujus titulus vulgò est:* Sanctum Jesu Christi Evangelium secundum Johannem, *quo opere completo, factus est quoq;, Evangelista.*

S. Johannes primum Evãgelium S. Matthæi prædicavit.

S. Johãnes, cur suum Evãgelium scripserit.

PRAEDICAVIT autem hoc suum Evangelium primùm in regionibus Asiæ, Deinde in Epheso, ubi habitavit viginti septem annis, imperante videlicet Nerone sex annos, Vespasiano decem annos, Tito duos annos, Domitiano novem annos, qvo anno rejectus est ab eo in exilium ad Insulam nomine Bethmuune, *velut vulgò dicitur Pathmus.* Ubi mansit septem annos usq; pòst mortem Domitiani, pòst ab Imperatore Nerone parvo, *(ut hic textus vocat, qui aliàs Nerva dicitur,)* vicissim Ephesum restitutus fuit, Ibiq; condidit Ecclesiam, & scripsit Epistolas suas tres, qvæ in catholicis *habentur.* Ibiq; mansit usq; ad annum sextum Imperii Trajani, *ceu infrà loco decimo quarto dicemus. Narrationem verò integram Arabicam, usq; ad tempora* Trajani, *placet hìc in gratiam Chronologicorum, & Historicorum trãscribere, eam porrò his verbis consignatã invenimus.*

S. Johannes ubi suum Evãgelium prædicaverit.

Qvando rejectus in exilium.

S. Johannes qvàm diu in exilio fuerit.

Nero parv' sive Nerva Imperator.

S. Johannes condidit Ecclesiam.

Scripsit tres Epistolas.

Pervenit ad sextũ annũ Trajani.

وبشر بها اولا في بلاد اسيا • ثم بافسس • واقام بها سبعا وعشرين
سنة • بتفصيله • تتمة ملك نيرون ست سنين • ومدة ملك
اسباسيانوس عشر سنين • ومدة ملك طيطوس ولده
سنتان • ولما ملك دمطيانوس اقام تسع سنين • ثم نفاه
الى جزيرة اسمها بطمون • فاقام بها سبع سنين الى وفاة
دمطيانوس • وملك بعده نيرون الصغير فاعاده الى
افسس • فاقام بها مدة ملكه وهي سنة واحدة • وبني بها
كنيسة • وكتب رسايله الثلاث التي في القتاليقون • وكان
معه ثلاثة من تلاميذه • لغناطيوس الذي صار بطريرك
انطاكيه وطرح للسباع برومية • وفليفاريوس الذي صار
اسقف سمرنا واستشهد بالنار • وفوجير وهو الذي
استخلفه على افسس • ولما ملك طراجانوس • اقام يوحنا
في ايامه بافسس ست سنين ✠

NOTA. I.

*IN quâ narratione, qvatuor inprimis notanda veniunt.* 1. *Qvomodo Nomina propria Arabibus ſcribantur, ſcilicet:* أسيا Aſeja, افسس Aphſuſe, نيرون Neiruune اسباسيانوس Aſubasjanuuſu, طيطوس Thithuuſe, دمطيانوس Damthjanuuſu, بطمون Barhmuune, نيرون الصغير Neiruune parvus, *qvæ communiter ita leguntur,* Aſia, Epheſus, Nero, Veſpaſianus, Titus, Domitianus, Pathmus, Nerva; *qvod poſterius nomen, probè hiſtoricis conſiderandum relinqvimus; Cur nimirùm* Nerva Imperator, *huic authori dicatur* Nero Parvus, *an ob corporis ſtaturam qvalem* Othoni Svetonius tribuit in vitâ ejus, capite. 12? *Obſervandum hìc etiam eſt, in non paucis horum nominum proprioꝛum literis, puncta qvoq; eſſentialia immutata eſſe, vel etiam planè abeſſe,* qvod in libro 1. Grammatices noſtræ Arabicæ

E

bicæ, pag. 79. nos monuisse recordamur, *& hic ex Unico nomine* طرابانقس, *apparet. Trajanum enim significare debet. At scribentis fortè incuriâ hoc commissum est. Sicut & paulò pòst, ac infrà loco 15. pro* يوحنّا *legitur* يوخنّا *per* خ *qvod vix alibi nos observasse scimus.*

II. *Consideratione etiam dignum esse videtur, Cur horum scriptorum author, post* Neronem, *tres Imperatores omiserit,* Galbam *nimirùm,* Othonem *&* Vitellium. *Anne ideò factum fuit, qvòd nullius, horum trium, Imperium, ad annuum sese extenderit spatium, sed ad summum ad octo menses. Potuit itaq; tàm parvo tempore, horum fama* Ephesum *non pervenisse, Ideoq; Vespasiano decem Imperii annos hic author tribuit, cùm alii saltem novem ipsi adscribant.*

II. Cur hic author tres Imperatores Romanos omiserit. Qvomodo hic Vespasianus dicatur decem annis imperasse.

ADJUNGIT *enim tempus Imperii horum trium, qvod non multum excedit spatium unius anni, annis novem Imperii* Vespasiani. *Et hoc III. notandum erat.*

III.

IV. *Observandum qvoq; est, hunc authorem, ne verbo qvidem Uno, mentionem facere* Αποκαλύψεως D. Johannis, *qvam qvidam hunc Evangelistam in* Pathmo *scripsisse, asserunt, qvâ authoritate ipsi videant. Atq; ideò semper iste liber inter* Apocrypha *reputatus est.*

IV. Αποκαλύψις.

QUI *autem plura, ut res gestas sive* Acta S. Johannis Evangelistæ, *cognoscere vult, ab aliis necesse est illa petat, nostri enim propositi limites ea egrediuntur.*

5. VOCATIO AD EVANGELIUM, *hujus* Ultimi Evangelistarum, *cum fratre* Jacobo *describitur,* Matth. 4. vers. 21. Marc. 1. vers. 19. *ubi dicitur:* Et vocavit eos. Illi autem statim, relictis retibus & patre, secuti sunt eum.

6. MAGISTER S. Johannis Evangelistæ, *fuit* Unicus Salvator *noster, qvi ipse & immediatè qvidem eum cum fratre* Jacobo, *ab arte piscatoriâ, ad prædicationem Evangelii sui, per Universum Orbem terrarum, vocavit, ut ex locis* Novi Testamenti *in loco præcedente allegatis, clarissimè constat.*

7. DISCIPULI, *hujus Evangelistæ, fuerunt infiniti Christiani, in diversis Orbis terrarum partibus, maximè illis, in qvibus ipse Evangelium, primò* S. Matthæi, *ut anteà diximus, deinde etiam suum proprium prædicavit. Pòst resurrectionem tamen Christi, speciatim Ephesi, hæc Prolegomena, tres ipsi tribuunt discipulos,* Egnatium qvem factum fuisse dicunt Patriarcham Antiochiæ, & pro-

Tres discipuli S. Johannis Evãgelistæ.

& projectum fuiſſe ad beſtias Romæ; Deinde Phelipharium, qvem dicunt, factum fuiſſe Epiſcopum Sumariæ, & martyrium ſubiiſſe in Annar: Ac tandem Phugſire qvem dicunt, S. Johannem ſibi ſubſtituiſſe ſupra Epheſum: *verba Arabica hæc, ſunt paulò antè in narratione illâ, adducta. Et Phugſire hic, fortè eſt ille, qvem Abdias atq; alii, Byrrum vocant.*

8. QVANDO *autem* S. Johannes Evangelium *ſuum ſcripſerit, expreſſè habetur in hoc Prolegomeno, id factum fuiſſe,* In anno octavo de regno Neronis filii Claudii, *(ubi egregiè inſeritur qvando & à qvo, atq; ubi,* D. D. Paulus & Petrus *occiſi fuerint, ait enim:)* Qvi occidit Petrum & Paulum in Româ, in anno tertio decimo, de regno ejus, & erat pòſt aſcenſionem in qvinto & trigeſimo anno. Et ſcriptum eſt *(ſcilicet hoc Evangelium ـه,)* pòſt aſcenſionem in triceſimo anno: *Verba Arabica Prolegomeni hæc ſunt:*

D.D. Petrus & Paulus à qvo, qvando, & ubi interfecti fuerint.

في السنه الثامنه من ملك نيرن بن اقلوديس • الذي
قتل بطرس وبولس برومية في السنة الثالثة عشرة من
ملكه • وهي بعد الصعود بخمس وثلثين سنة • وكانت
كتابته اياها بعد الصعود بثلثين سنة •

*Qvibus verbis qvid qvæſo clariùs eſt, & qvàm pulchrè hìc confirmantur author, annus & locus, cædis duorum primariorum Apoſtolorum, S. nimirùm* Petri & Pauli, *de qvibus vel ab aliis, vel à nobis ſuo tempore plura dicentur.*

9. UBI *porrò* D. Johannes *ſuum conſcripſerit Evangelium, apertiſſimè in hiſce Prolegomeni hujus verbis, legitur, in* Græciâ, in Civitate Epheſo, *id factum fuiſſe* ـه:

كتب بشارته باليوناني • بمدينة افسس •

*ET in ſubjunctis ſcio idem repetitum fuiſſe. Verùm illa ob injuriam ـه temporis, cum aliqvot textus verſiculis, ab hoc exemplari perierant, qvod in præfatione etiam monuimus.*

Subjuncta Evangelii S. Johannis Arabica, cũ qvibuſdam ipſius text' verſiculis, ab hoc exemplari perierunt.

10. IN QVA LINGVA *verò, hic* Ultimus Evangeliſtarum, *ſuum Evangelium ſcripſerit, licet ſeorſim non exprimatur, tamen ex loco ubi ſcripſerit, facilè conjici poteſt, eum ſermone* Græco *ſcripſiſſe, ut rectè omnes hactenus Theologi ſenſerunt. Repetantur etiam hìc, qvæ in Vitâ* D. Lucæ loco. 10. *ſcripſimus.*

11. AETAS Qvarti hujus Evangelistarum S. *videlicet* Johannis, *adeò clarè in his scriptis exprimitur, ut qvi de eâ ampliùs dubitare velit, dubitationem studiosè affectare Jure dici possit. Dicitur autem* vita ejus fuisse centum & anni Unius, (*nimirùm,*) de eâ ante ascensionem triginta anni, Et de eâ pòst ascensionem Unus & septuaginta anni, *verba Arabica hæc sunt:*

S. Johannes Evangelista vixit annos centum & unum.

فكانت حياته مائة وسنة واحدة • منها قبل الصعود
ثلثون سنة • ومنها بعد الصعود احدى وسبعون سنة •

UBI, *qvàm accuratè, supputatio fit ætatis* D. Johannis, *ne videlicet, aliqvis ampliùs de eâ dubitare posset.*

Cur ætatis D. Johānis Evangelistę tàm accurata hîc fiat supputatio.

*ALIIS itaq;, eorum proprias relinqvimus supputationes, dum qvidam scribunt eum. 68. Annum pòst resurrectionem Christi attigisse, & obiisse, Anno Christi centesimo primo, forsan annus vitæ ejus, errore, pro anno Christi ab his reputatus est. Eum enim Anno Christi centesimo qvarto obiisse paulò pòst, monstrabimus. Qvidam verò dicunt, Anno ætatis. 89. Anno Christi centesimo, mortuum esse.*

12. QVOMODO *autem S. Johannes mortuus fuerit, apertè legitur in his Prolegomenis, eum ـ, non violentâ morte, ut reliqvi omnes Apostoli, obiisse, sed* mortuum esse in expectatione beatitudinis suæ, *verba Arabica hæc sunt:* • ومات بها في رابع طوبه •

13. UBI *verò* D. Johannes *mortuus fuerit, apertissimis verbis, in eodem Prolegomeno affirmatur* Ephesi *id factum fuisse, ceu ex verbis qvæ paulò pòst integrè adducentur cuilibet patere potest.*

14. QVANDO *deniq;, hic* Qvartus Evangelistarum *mortuus fuerit, in iisdem verbis clarè dicitur,* Anno sexto Imperii Trajani, pòst ascensionem Christi verò. 71. *Cui numero, si addatur ætas Christi ante ascēsionem anni nimirùm. 33. emergit Annus Christi 104. qvo mortuus fuit,* S. Johannes, *ut modò diximus.*

Qvo anno S. Johannes mortuus fuerit.

*NON itaq;, opus est, contra veritatem statuere,* S. Johannem Evangelistam *hodiè adhuc vivere.*

S. Johannē in his terris nō ampliùs vivere.

15. UBI *tandem* D. Joh. Evangelista *sepultus fuerit, expressè qvidem in his scriptis legitur, eum ـ in* Epheso, ut mortuum, ita etiam sepultum fuisse, præsente discipulo ejus Phugsire, cui tamen Iohannes dicitur præcepisse, ut non doceret aliqvem locum sepulchri sui, & dicitur, eum non docuisse qvenqvam, etiamsi probè sciverit sepulchrum, *ne videli-*

Cur S. Johannes, locum sepulchri sui, ignotum esse voluerit.

*ne videlicet Impia superstitio, cultus huic loco divinos, fortè exhiberet, qvod etiam* Mahhummedani *omnium hominū in religione miserrimi, in finibus* Lydiæ, *Ubi, falsò credunt hunc Evangelistam sepultum esse, hodiè adhuc strenuè facere scribūtur. Et hac in parte* S. Johannes, Moysi *non malè comparatur. Eum enim,* in valle terræ Moab, contra Phogor, sepultum scimus; sed tamen non cognovit homo sepulchrum ejus, usq; in præsentem diem. Deuter. 34. vers. 6. *Jam itaq; verba Arabica, ad locos hos tres pertinentia adscribere tempestivum est. Qvorum periodum ultimam, doctioribus hujus lingvæ, considerandam relinqvimus. Sunt autem hæc:*

Sepulchrū S. Johannis æquè atq; Moysis hodie adhuc ignotum esse.

ولما ملك طرابانوس • اقام يوحنا في ايامه بافسس
ست سنين • ومات بها في رابع طوبه ودفن بها ۞
فكانت حياته ماية وسنة واحدة • منها قبل الصعود
ثلثون سنة • ومنها بعد الصعود احدى وسبعون سنة •
وكان اوصى فوجير تلميذه الا يعلم احدا موضع قبره • فلم
يعلمه احد • والمعروف هو قبر فوجير • وقيل ان يوحنا
املي ابوغالمسيس على فوجير •

*ATQ; ita, divinâ concedente gratiâ, ex abstrusißimis hisce Aurifodinis Arabicis, eruimus, erutasq; in medium nunc proferimus, Vitas, Sanctißimorum Qvatuor hominum DEI omnipotentis ab Epistolis, qvos credimus ab* Ezechiele cap. 1. *per similitudines qvatuor animalium, Jam olim, indicatos fuisse.*

*HÆ vitæ, si qvid utilitatis Ecclesiæ DEI attulerint, totum id DEO omnipotenti, acceptum feramus, si verò in iis, qvædam errata aut minùs exqvisita & elaborata, (qvalia inerunt plurima,) lector benignus invenerit, illa omnia nostræ tenuitati, ac difficultatibus, breviter in præfatione à nobis enumeratis, nec non conditioni nostræ molestißimæ, qvæ majorem diligentiam, Imò aliqvam tantùm hisce laboribus limam adhibere, prohibet, amicè tribuat, & nos candidè de admißis erroribus moneat, inqvè hisce conatibus novis ac difficilimis, nos instruere atq; juvare, non intermittat. Experietur, se in ingratos hæc beneficia, non contulisse.*

*QVIA verò, omne promissum cadit in debitum, secundum Jureconsultos, & probè adhuc recordamur, nos aliqvoties, in superioribus promisisse, ad calcem libelli hujus, in gratiam studiosorum, nos computationem annorum addere velle, ut* Uno *qvasi intuitu qvilibet cognoscere possit, qvo tempore,* Unusqvisq; *horum Evangelistarum suum scripserit Evangelium. Ideò, & pro re studium saltem lectoribus nostrum, persoluturi, nunc paucis hoc debitum exolvemus.*

Cōputatio annorum in his scriptis unde incipiat.

ORDIEMUR *autem hanc annorum computationem, ab anno Ascensionis* Salvatoris nostri Jesu Christi *ad Cœlos, & ordine hos annos ad lævam legentis, lineis inclusos subjiciemus, ad dextram verò annos Cæsarum Romanorum, eodem modo adjungemus. In medio autem conferemus annos hactenus à nobis dictorum.*

*NON autem ad dies, nedum horas vel momenta hanc computationem nostram directam esse suspicetur aliqvis. Nam hoc exqvirere velle, supervacaneæ certè curiositatis esset.*

Salvator noster qvo ætatis anno passus & mortuus fuerit, ac à mortuis resurrexerit, & ad cœlos ascenderit.

ASSUMAMUS *itaq;, in qvo omnes ferè saniores historici Theologi, hactenus consenserunt,* Christum Jesum Salvatorem, *anno ætatis suæ, tricesimo tertio,* consummato opere qvod datum ipsi erat à Patre suo cœlesti ut faceret, Joh. 17. vers. 4. *acerbissimam suam Passionem ac mortem perpessum fuisse, atq; tertiâ die à mortuis resurrexisse, hincq; per dies qvadraginta apparentē discipulis suis, & loqventem de regno DEI, deinde assumtum fuisse ipsis spectantibus ad Cœlos. Hæc omnia gesta fuisse anno decimo Octavo Imperii, qvod* Tiberius Nero, Romæ *gessit post vitricum suum* Octavium Augustum, *cujus Imperii* Anno. 42. Bethlehemi natus fuit, Jesus Christus Salvator noster, *æqvè inter omnes convenit. Erit itaq; Annus primus Ascensionis Christi, annus decimus nonus Imperii,* Tiberii Cæsaris, *nostrâ opinione, procedens.*

Christus qvando natus fuerit.

Qvot annis, Unus Evāgelistarum pòst alterum, Evāgelium suum scripserit.

*COEPIT autem* S. Matthæus *suum Evangelium conscribere, anno octavo ab Ascensione DOMINI, jam magnâ parte elapso, Incipiente anno primo* Claudii Cæsaris, *& absolvit illud, anno nono procedente. Ab Ascensione, completo jam anno primo Claudii. Hinc elapso triennio, id est, duodecimo anno ab Ascensione, sive qvarto anno* Claudii, D. Marcus *suum scripsit Evangelium. Decennio pòst* D. Lucas, *& pòst hunc octennio* S. Johannes *Evangelicam suam scripserunt historiam. Id qvod ex præsente hac computatione apparet.*

Annus

| Annus Ascensionis. | | Annus Imperii Romani. | |
|---|---|---|---|
| 1. | *Nullus Evangelistarum, mox ab ascensione Christi suum cœpit scribere Evangelium.* | 19. | Procedens. Tiberii. |
| 2. | | 20. | |
| 3. | | 21. | |
| 4. | | 22. | |
| 5. | | 23. | |
| 6. | | 1. | C. Caligulæ. |
| 7. | | 2. | |
| 8. | *Hoc anno* S. Matthæus *primus ad petitionem Judæorum cœpit Evangelium suum scribere.* | 3. | |
| 9. | *Hoc anno* S. Matthæus *suum Evangelium absolvit.* | 1. | Claudii. |
| 10. | | 2. | |
| 11. | | 3. | |
| 12. | *Hoc anno* S. Marcus *suum scripsit Evangelium.* | 4. | |
| 13. | | 5. | |
| 14. | | 6. | |
| 15. | *Hoc anno* S. Marcus à D. Petro *factus est* Patriarcha Aegypti. *&c: Eóq; missus secum detulit Evangelium suum.* | 7. | |
| 16. | | 8. | |
| 17. | | 9. | |
| 18. | | 10. | |
| 19. | | 11. | |
| 20. | | 12. | |
| 21. | | 13. | |
| 22. | *Hoc anno* S. Lucas *suum scripsit Evangelium, &* D. Marcus *martyrio coronatus est.* | 14. | Jam mortui. |
| 23. | | 1. | Neronis Claudii. |
| 24. | | 2. | |
| 25. | | 3. | |
| 26. | *Ad hunc annum usq;* D. Lucas Acta Apostolo*rum conscripsit.* | 4. | |
| 27. | | 5. | |
| 28. | | 6. | |
| 29. | | 7. | |
| 30. | *Hoc anno* S. Johannes *suum scripsit Evangelium, & sequentes viginti septem annos vixit* Ephesi. | 8. | |
| 31. | | 9. | |
| 32. | | 10. | |
| 33. | | 11. | |
| 34. | | 12. | |
| 35. | *Hoc anno* D. Petrus *&* Paulus à Nerone Romæ *sunt occisi.* | 13. | |
| 36. | | 14. | Galbæ, Othonis, Vitellii. |
| 37. | | 1. | Vespasiani. |
| 38. | | 2. | |
| 39. | | 3. | |
| 40. | | 4. | |
| 41. | | 5. | |
| 42. | | 6. | |
| 43. | | 7. | |

| Annus | | Annus | Imperii |
|---|---|---|---|
| 44. | | 8. | |
| 45. | | 9. | |
| 46. | | 10. | |
| 47. | | 1. | Titi. |
| 48. | | 2. | |
| 49. | | 1. | Domitiani. |
| 50. | | 2. | |
| 51. | | 3. | |
| 52. | | 4. | |
| 53. | | 5. | |
| 54. | | 6. | |
| 55. | | 7. | |
| 56. | *Hoc anno* S. Johannes *relegatus fuit in* Pathmum. *Ubi* | 8. | |
| 57. | *septem annis vixit in Exilio.* | 9. | |
| 58. | | 10. | |
| 59. | | 11. | |
| 60. | | 12. | |
| 61. | | 13. | |
| 62. | | 14. | |
| 63. | *Hoc anno rediit* S. Johannes Ephesum, *restitutus à* | 15. | |
| 64. | Nerone Parvo, *residuum vixit* Ephesi. | 1. | Nervæ. |
| 65. | | 1. | Trajani, |
| 66. | | 2. | |
| 67. | | 3. | |
| 68. | | 4. | |
| 69. | | 5. | |
| 70. | | 6. | Finiens. |
| 71. | *Hoc anno incipiente* S. Johannes Ephesi *mortuus est,* *Anno nimirùm Christi.* 104. | 7. | |

FINIS

VITARUM QVATUOR EVANGELISTA-rum Petri KirstenI Vratislaviensis, Philosophiæ & Medicinæ Doctoris.

---

Anno: MeDICI VerI.



# I N D E X

## Rerum memorabilium, qvæ in his Vitis, Qvatuor Evangeliſtarum, continentur.

Numerus paginam indicat.



Europæi

# FINIS.



# Petri Kirstenii Vitae evangelistarum quatuor

Kirsten, Peter

urn:nbn:de:hbz:5:1-968